MASTER NEGATIVE
NO. 93-81265-8

AUTHOR:

HAGEN, MAX VON

TITLE:

QUAESTIONES CRITICAE DE BELLO MUTINENSI...

PLACE:

MARBURGI

DATE:

1886

Master Negative #

93-81265-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hagen, Max von, 1861-
Quaestiones criticae de Bello mutinensi (44-43 A. Chr.). Dissertatio inauguralis quam... scripsit Max von Hagen. Marburgi, Typis Friderici typographi academici, 1886.
53 p. 22 cm.

Thesus, Marburg.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 04/07/93 INITIALS Emc
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAESTIONES CRITICAE

DE BELLO MUTINENSI (44–43 A. CHR.).

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN UNIVERSITATE MARBURGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

MAX VON HAGEN.

MARBURGI.

TYPIS FRIDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.

1886.

AVO ET PATRI SUO S.

Res Romanas, quae post Caesarem occisum gestae sunt, consideranti mirum quoddam spectaculum offertur. Crederes enim, patre illo patriae sublato, omnes bonos nihil antiquius habuisse, quam ut in unum congregati omnibus rebus postpositis a nefariis illis poenas repeterent sceleris perpetrati. Sed longe aliter res evenit. Ei enim, qui rem illam puerili, ut ait Cicero, consilio egerant, una cum eis, qui iam de percussoribus supplicium sumpturi erant, Antonii in communem salutem impetus represserunt, qui, tyranno sublato, tyrannidem manere voluit. Quo factum est, ut rei publicae, quae vix ex terroribus tempestatibusque belli civilis recreata erat, recentia nec minora subeunda essent pericula. Neque inde a Caesare interfecto prius res pacatae sunt, quam summi illi viri, Antonius, Octavianus, Lepidus, inimicitiis depositis, tres viri fierent rei publicae constituendae.

Quarum rerum conexus et temporum series quoniam parum adhuc constant, haud alienum visum est paulo diligentius in eas incumbere: et nunc quidem, quae de actis Caesaris et bello Mutinensi invenisse mihi videor, proferam.

Ac primum quidem videamus, quinam fontes illarum rerum nobis se praebeant, et quid cuique tribuendum esse videatur, breviter exponamus.

Atque omnium fontium earum rerum, quas percurrere mihi in animo est, longe praestantissimas esse Ciceronis et orationes et epistulas compertum habeo. Etsi enim concedendum est Ciceroni, homini nec forti nec animi firmi, aliis temporibus multa visa esse alia, tamen ad tempora definienda optimo auctore utimur illo.

Ex operibus autem Ciceronis haec ad nostras quaestiones pertinent: quattuordecim orationes illae Philippicae sive Antonianae, epistulae ad familiares lib. 10—12, ad Atticum lib. 14—16, ad M. Brutum libri duo.

Hae ad Brutum epistulae, utrum genuinae sint necne, adhuc valde viri docti dissentiunt. Ac primum quidem de earum origine genuino dubitaverunt Tunstall[1]) et Markland[2]). Eas autem spurias esse variis scriptis negavit K. F. Hermannus[3]). Contra Zumptius[4]) eas spurias esse contendit. Heinius[5]) autem secundum Nipperdei dictum illud, maiorem partem epistularum genuinam iudicat, I, 16 et 17 spurias censet. Idem fere videtur O. E. Schmidtio[6]) et L. Gurlittio[7]). F. Becher[8]) autem ex ratio-

1) Epistula critica ad virum eruditum Conyers Middleton, Cantabrigiae 1741. Idem: Observations on the present collection of epistles between Cicero and M. Brutus, London 1744.

2) Markland: Remarks on the epistles of Cicero to Brutus and of Brutus to Cicero, London 1745.

3) Vindiciae Latinitatis epistularum Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem, Göttingen 1844.

Vindiciarum Brutinarum epimetrum, 1845.

Zur Rechtfertigung der Echtheit des erhaltenen Briefwechsels zwischen Cicero und M. Brutus (Abhdl. d. Gött. Ges. d. Wiss. 1845, II, S. 189 ff.; III, 143 ff.)

4) De M. Tullii Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem epistulis, quae vulgo feruntur. Berliner Programm 1845. Idem »Berliner Jahrbücher f. wissenschaftl. Kritik« 1845, II, no. 91—94.

5) Quaestionum de M. Tullii Ciceronis et M. Bruti mutuis epistulis capita duo, Leipzig 1875.

6) De epistulis et a Cassio et ad Cassium post Caesarem occisum datis quaestiones chronologicae, Leipzig 1877.

7) De M. Tull. Ciceronis epistulis earumque pristina collectione, Gött. 1879.

8) De Ciceronis, quae feruntur ad Brutum epistulis, Jena 1876.

nibus grammaticis et ex genere dicendi censet epistulas spurias esse, historicam earum fidem non in suspicionem sibi venisse scribit. C. G. Cobet[1]) omnes epistulas Ciceronianas esse vult. Idem fere censent L. Langius[2]) et Boissier[3]).

F. Hofmannus[4]) prioris libri epistulas genuinas esse posse dicit, alterius negat. Quae autem Teuffelius »Römische Literaturgeschichte«, 4. Aufl., S. 329, ea de re dixit, digna mihi videntur, quae etiam atque etiam legantur: »In der That ist das, was man gegen die Sammlung geltend gemacht hat, von wenig Erheblichkeit, besonders die Widersprüche von Ciceros vertraulichen Urteilen über Personen mit seinen öffentlichen Äusserungen zu anderer Zeit. Der schlichte Charakter dieser Briefe, ohne rhetorische Geblähtheit, sieht nicht nach Fälschung aus« u. s. w.

Postremo P. Meyer[5]) omnes epistulas illas contendit esse spurias, et quod in codicibus perverse tradantur (liber enim alter priori est anteponendus, interpositum est proelium Mutinensi), et quod cum rebus ab aliis historicis traditis discrepent, et quod genus dicendi, quod in iis est, a reliquo Ciceronis usu dicendi vehementer abhorreat; et conflatas quidem esse has epistulas ex variis fontibus; primum enim fuisse epistulas ad Brutum datas genuinas, quarum testem esse Nonium, quarum partem eas esse, quas nunc habeamus. Praeterea adhibitas esse epistulas ad fam. X—XII, denique multos fontes, de quibus nihil sciamus. Sed equidem ad Teuffelii potissimum sententiam me applicem. Epistulas autem Ciceronis recte intellegere difficillimum est, cum in eis multa leviter attingantur, quae ei, ad quem data erant, nota erant. Quod epistulae, quas Atticus ad Cice-

1) Ad epistulas Ciceronis et Bruti (Mnemosyne, nova series vol. VII, 1879, p. 262 ff. Ibidem: Adnotationes historicae et criticae ad Plutarchi vitam M. Bruti l. l. p. 1 ff. p. 125 ff. ad Ciceronis Philippicas, ibid. p. 113 ff.)

2) Römische Altertümer III.

3) Cicéron et ses amis, p. 322 adnot.

4) Ausgewählte Briefe des M. Tullius Cicero, 5. Aufl., I, 4 ff.

5) Untersuchung über die Frage der Echtheit des Briefwechsels Cicero ad Brutum, Zürich 1881.

ronem dedit, amissae sunt, summopere est dolendum; quamquam minime concedo id, quod O. E. Schmidtius[1]) contendit, melius esse res illas referenti, si, epistulis Ciceronis ad Atticum amissis, Attici epistulae essent conservatae. Facile autem patior ita rem definiri, ut responsa Attici rebus maius quoddam lumen oblatura fuerint.

Multas res Cicero amicos nosse sciebat, de quibus unum verbum nobis plurimi esset aestimandum. Viri enim nobiles, qui in provincia erant, omni tempore de eis, quae Romae accidebant, certiores fiebant; ut apparet ex Cic. ad fam. 12, 13,2 (ad Cornificium): »rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio«; ad fam. 10, 1, 2 (Cicero Planco): »quoniam acta omnia mitti ad te arbitrabar«; ad Brut. 2, 1, 3: »acta quae sint quaeque agantur scio perscribi ad te diligenter«.

Quid, quod fiebat saepenumero, ut Cicero de industria res obscurius scriberet, ne per eos, qui epistulas perferebant, in medium proferrentur? —

Veniamus ad Appiani libros de bellis civilibus quinque, praecipue secundum et tertium. De Appiani fide historica sententiae virorum doctorum in contrarias partes sunt divisae. Atque Drumannus[2]), Rankius[3]), H. Schiller[4]) summam esse eius fidem putant. Peter autem[5]), P. Krausius[6]), O. E. Schmidtius l. c. minus Appianum probant. Quodsi quaeritur, quibus auctoribus usus sit Appianus, omnino eum bonos esse secutum pro certo dici potest. Quem ad modum autem Asinii Pollionis historiam bellorum civilium adhibuerit, magna est dissensio.

1) Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik, 13. Supplementband, 1884, p. 666.

2) Geschichte Roms in seinem Übergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung, I. 81.

3) Weltgeschichte III, 226 ff.

4) Geschichte der römischen Kaiserzeit, Gotha 1883.

5) Philol. VIII, 1858, p. 429 f.

6) Appian als Quelle für die Zeit von der Verschwörung gegen Caesar bis zum Tode des D. Brutus, Teil 1 u. 2, Rastenburg 1879—80.

Quid, quod Rankius, summus ille, quicquam certi de ea re afferre non audet? (cf. Rankius, l. c.: »Auf die Frage, ob dem Autor das Werk des Asinius Pollio selbst oder eine griechische Bearbeitung vorgelegen hat, gehe ich nicht ein«). Appianum quidem et Plutarchum in bello civili perscribendo sequi unum eundemque auctorem inter omnes constat. Quomodo autem id factum sit et quisnam fuerit ille, non idem omnes sentiunt. Thouret[1]) enim demonstravit utrumque scriptorem alium Graecum rerum scriptorem adhibuisse, qui ipse quoque Pollionis illo opere usus esset, quem quidem cum Ciceronem Asiniumque tum Livium novisse putat et Appianum quidem nunquam ab auctore suo differre, Plutarchum interdum ipsum Livium adhibuisse. Iam Plutarchus (Caesar 63) scribit: »Στράβων δὲ ὁ φιλόσοφος ἱστορεῖ«, dicit ὑπομνήματα ἱστορικά Strabonis. Atque Strabonem usum esse opere Asinii Pollionis elucet ex Iosephi antiquitatibus Iudaicis 14, 8, 3. Quid vero obstat, quominus in nostra quoque tempora Strabonem esse adhibitum putemus?[2])

Num, ut Thouret censet, Appianus ad historiam inde a Caesare occiso usque ad pugnam Philippicam perscribendam praeter eum, quem modo diximus, ipso Asinio usus sit, difficillimum est ad diiudicandum; equidem verisimile id esse censeo.

Quae Appianus ad tempora definienda, in nominibus propriis rebusque geographicis commemorandis attulit, saepe minime accurata sunt.

Plutarchi autem vitas Caesaris, Ciceronis, Antonii, Bruti non tanti faciam, quanti fecit Schillerus p. 5 l. c. Neque enim solum multa omisit, sed etiam saepe res non eo, quo gestae sunt, ordine narrat, ut ad tempora definienda non magna sit eius utilitas. Quod vero Schillerus dicit Plutarchum imprimis Latinos auctores esse secutum, vix credendum est. Potius Schmidtio concedo Plutarchum saepissime ex eisdem Graecorum

1) De Cicerone, Asinio, Pollione, C. Oppio rerum Caesarianarum scriptoribus, Leipziger Studien I, p. 304 ff.

2) Cf. Walther Judeich, »Caesar im Orient«, 1885, p. 33 ff.

excerptis, quae Appiano in manibus essent, hausisse. Quod vero Schmidtius crimini dat illi, quod plus, quam res postulaverit, in morum notatione spatii collocaverit, non recte vituperat, nam id ipsum vult Plutarchus, ut, quales fuerint homines illi, appareat.

Quoniam de Plutarcho dixi, nunc de Dione Cassio pauca afferam. Cuius ex operibus lib. 44—51 ad nostras res pertinent. Quod res gestas ex consulum ordine protulit, est, cur gaudeamus; sed nimis saepe magnis erroribus ducitur.

Vehementer autem dolendum est, quod Livii ei libri, quibus nostrae res continebantur, perditi sunt. Epitomae de iis supersunt breves illae quidem, sed gravissimae, quia ibi res proferuntur, quarum nullo alio loco mentionem esse factam videmus. Interdum epitomatores quoque Livii, Iulius Florus, Eutropius, Orosius adhibendi sunt.

Iam veniamus ad C. Velleium Paterculum, qui circa annum p. Chr. n. tricesimum historiae Romanae scripsit libros duos. Quaecumque ille retulit, adeo apte et diligenter sunt scripta, ut sit, cur doleamus, quod in nostris rebus perscribendis brevissimus fuerit.

C. Suetonii quoque Tranquilli vitae Caesaris et Augusti adhibendae sunt. Quamquam ea, quae refert, cautissime sunt accipienda, cum Suetonium saepe, quicquid mali accepisset, in medium protulisse constet; temporum ordinem non sequitur.

Singulae porro res inveniuntur apud Tacitum, Gellium, Ovidium, Plinium, Iosephum, Valerium Maximum, Macrobium, Frontinum, alios.

Ex nummis quidem pauca erui possunt, plura ex inscriptionibus.

Ac de temporibus definiendis nostrae copiae anno 1882 aliquanto amplificatae sunt. Ferialis enim templi Augusti Cumani, cuius fragmenta iam 1834 et 1846 prolata erant in medium (C. I. L. I. p. 310), tertium fragmentum est inventum, quo superiora illa bene supplentur[1]).

Non sine causa Nicolai Damasceni vitam Caesaris postremo

1) Cf. Mommsen, Hermes 1882, p. 630—33.

loco nomino. Multi enim viri docti, qui eis de rebus scripserunt, Nicolaum adeo despexerunt, ut operae pretium sit accuratius de eo agere. Atque ille Damasci anno 64 natus, id est anno ante Octavium natum, cum imprimis in opera Aristotelis rhetorica et philosophica incubuisset, ad historiae universalis studium se contulit. Postea ad Herodem regem adductus cum eo Romam ad Augustum profectus est[1]). Sed cum Herodes in iudicium deductus esset, quod in Arabiam invasisset, Nicolaus anno a Chr. n. octavo iterum Romam profectus causam regis tam diligenter egit, ut Augusti gratiam iniret. Herode autem mortuo tertium anno a Chr. n. quarto Romam se contulit. Ibi utrum mortuus sit, ut Schmidtio videtur, an in Asiam reverterit, in medio relinquatur. Opus sunt qui putent eum Romae conscripsisse, alii, velut Mueller, Apolloniae. Mihi quidem Romae scripsisse Nicolaum magnam partem operis effici videtur ex eis, quae inveniuntur apud Dindorfium (historici Graeci minores p. 144b): »ᾐτιῶντό τινες τὸν Νικόλαον — ὅτι τὰς πλείους διατριβὰς ἐποιεῖτο μετὰ τῶν δημοτικῶν, ἐκκλίνων τοὺς μεγάλους καὶ ὑπερπλούτους τῶν ἐν Ῥώμῃ«. Nicolaum parentibus Iudaicis, ut Schmidtius (l. c. p. 670) putat, ortum esse non credo. Scriptum enim videmus in eis, quae Nicolaus ipse de vita sua memoriae prodit (Dindorf, Hist. Gr. Min. I, p. 137), patrem, cum animam ageret, Nicolaum vel Ptolemaeum, fratrem eius, iussisse Iovi donum offerre, quod ei se facturum esse antea pollicitus esset. Neque id unquam hominem vere Iudaeum facturum fuisse credendum est.

»Vita Caesaris«, etsi non tota nobis in manibus est, de Octaviani primordiis res protulit dignas, in quas toto pectore incumbamus. Inde a Valesio ex codice archetypo excerptorum Constantinorum bibliothecae, quae erat in Turonum finibus, capita quindecim erant, quibus adulescentia Octaviani usque ad reditum eius ex bello Hispaniensi continetur. Pars autem altera, inde a tempore, quae Apolloniae erat, usque ad belli contra Antonium apparatus (Nov. 44), sedecim capita continens, ex codice Escorialensi in usum K. Muelleri transcripta ab eo primo

1) Cf. Dindorfium historici Graeci minores p. 140.

in historicorum Graecorum fragmentis III, p. 427—456 edita est. Haec fragmenta divisa sunt in partes quinque:

1) cap. 1—12: Pueritia Octaviani usque ad tempus, quo Carthagine nova erat (a. 45).

2) cap. 13—15: Octaviani in nomen familiamque Caesaris adoptatio usque ad tempus, quo in patriciatum est receptus.

3) cap. 16—18: inde ab Octaviani itinere in Apolloniam facto usque ad reditum in Italiam et iter Brundisio Romam inceptum.

4) cap. 19—27: Commentatio de coniuratione in Caesarem facta eiusque trucidatione.

5) cap. 28-31: Antonii et Octaviani contentiones, deinde apparatus Octaviani. —

Iniustissime autem Schillerus l. c. p. 5—6 Nicolao crimini dat, quod solum ad gloriam Octaviani amplificandam librum illum composuerit. Licet enim Nicolaus velut pueritiam Octaviani eiusmodi descripserit, ut putare possimus mediocres res valde augeri et in maius extendi, tamen eum de industria fidem historicam fefellisse nullo modo concedi potest. Immo vero magnopere aestimanda sunt, quae Nicolao auctore de illis temporibus scimus (cf. Schmidt. l. c. p. 678). Unus ex omnibus illis rerum scriptoribus Nicolaus accuratum rerum post Caesarem mortuum ordinem praebet, de quibus reliqui, ut praeclare Drumannus I, p. 84, in labyrinthum quendam errorum nos introducunt. Quod post cap. 27 magna lacuna est, non Damasceno, sed excerptori est crimini vertendum.

Quonam autem tempore opus sit scriptum et ex quibus fontibus sit haustum, pro certo dici non potest. Frustra ampliora vestigia quaerimus, unde appareat Plutarchum, Dionem, Appianum usos esse vita Caesaris. Pueritiae tantum historia Appiani 3, 9—14 fortasse accepta refertur Nicolao. Non apud Graecos illos quidem Nicolaum reperimus, sed apud Suetonium. Quodsi Suet. Caes. 76—82 cum Nic. Dam. 19—26 contuleris, magnam similitudinem esse intelleges. Multa enim facta, quorum et Suetonius et Nicolaus mentionem faciunt, apud alium rerum scriptorem non inveniuntur (cf. Schmidtium l. c.).

Quoniam de fontibus dixi, unde repeti potest notitia nostra earum rerum, quas illustrare mihi in animo est, nunc ad res ipsas accedo.

Cap. I.

De actis Caesaris.

Post Caesarem occisum senatores terrore perculsi ex curia profugerunt, in omnium rerum perturbatione alii eorum vulnerati, alii trucidati sunt. Ut autem ex App. 2, 18 cognoscitur, quidam etiam ex civibus et peregrinis sane errore quodam ad necem perducti sunt. Quae cum ita essent, tota urbe magna trepidatio est facta, quamquam coniurati quacumque ratione multitudini persuadebant nihil periculi subesse, paulo post omnia fore pacata (Dio 44, 34). Postremo, cum gladiatores, qui a prima luce in armis fuerant, ut eo die in scaenam prodirent, ex theatro Pompeii excurrissent, spectatorum multitudo discessit. M. autem Antonius veste consulari deposita, veritus, ne ipse quoque ad necem quaereretur, servili veste indutus domi suae se occultavit, ubi tota nocte commoratus est. Quod aegerrime M. Brutus tulit, cum speraret se una cum illo res constituturum esse [1]).

Quod autem Appianus refert M. Aemilium Lepidum, magistrum equitum, in insulam Tiberinam concessisse indeque legionem, quae eum pro consule in Hispaniam citeriorem et Galliam Narbonensem proficiscentem secutura esset, in campum Martium deduxisse, ubi melius M. Antonio praesto esset, minime est credendum. Immo vero etiam, Antonio repulso, ipse rerum potiri voluit [2]). Sed iam a. d. XVI. Kal. Apriles Antonius Lepidum sibi conciliaverat. Homo enim ille erat ventosissimus et qui semper ad motus fortunae se regebat. Caesare autem dictatore occiso, evestigio magister equitum esse Lepidus videtur desiisse [3]).

1) Plut. Ant. 18.
2) Dio 44, 22. 34.
3) Mommsen, Römisches Staatsrecht II, 1, 158 f.

Ac primum quidem Antonius et Lepidus, cum supplicium de coniuratis sumere instituissent, veriti, ne senatus eis faveret, occasionem meliorem exspectaverunt. Percussores autem frustra in curia ad populum verba facere conati, cum neminem ibi remanere cognovissent, cum gladiis incesserunt vociferantes regem ac tyrannum a se absumptum esse; libertatis indicandae causa pileum in hasta protulerunt. Multi quidem eis se adiunxerunt, velut P. Lentulus Spinther, Lentuli consularis filius, Favonius, qui Catonem aemulabatur [1]), M. Aquinus, Dolabella (vide infra et p. 16) Murcus, Patiscus, Cn. Octavius Balbus, alii. Quibuscum se in Capitolium receperunt deis sacra facturi: cuius rei auctorem fuisse Decimum Brutum sunt qui putent, cf. Dio 44, 21. Drumannus Dolabellam postero demum die in Capitolio apparuisse dicit, discrepans cum Appiano et Dione. — Populus autem partes coniunctorum sequi animum inducere non potuit. Senatum vero illi sibi fauturum speraverunt, et cum cognatos affinesque multos in eo ordine haberent, et cum senatus a tyranno summopere esset oppressus. Maxime autem plebem et Caesaris veteranos pertimuerunt, qui frequentes Romam confluxerant, ut ibi agrorum participes fierent, atque Caesari urbe exeunti adesse voluerunt; qui quanto odio in percussores impleti fuerint, facile intellegitur.

Sed cum Lepidi quoque exercitum timerent, in Capitolium euntes plebem largitionibus sibi conciliare constituerunt. Eo cum Cicero quoque venisset, suasit, ut praetores senatum in Capitolium vocarent, cum speraret magna posse perfici »laetantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus« [2]). Neque vero illi eius auctoritatem secuti sunt. Antonium pricibus adire visum est, ut secum rem publicam restitueret. Ciceronem igitur, ut Antonio persuaderet, subornaverunt; qui quidem id facere animum inducere non potuit [3]).

1) Cf. Charles Merivale, »a history of the Romains under the empire«, London 1862, III, p. 8, qui praeclare eum dicit: »the shadow of the sturdy Cato«.

2) Cic. ad Att. 14, 10, 1.

3) Cic. Phil. 2, 89, ad Att. 14, 14, 2 praeclare Cicero illam vocat »sessionem Capitolinam«.

Quae dum geruntur, Antonius, cum e metu recreatus esset, aerarium adiit, quod in aede Opis reservabatur. Ibi septies milies HS. continebantur. A Calpurnia, Caesaris uxore, Caesaris pecuniam et chirographum accepit, quae ad se conferri iussit. Quod Calpurnia fecit, sive ipsius Antonii iussu, sive quod persuasum habebat nullo loco ea esse tutiora quam apud Caesaris familiarissimum [1]). Quo facto eum satellites sibi collegisse Appianus tradit [2]). Senatum autem iam tum Antonio dedisse potestatem milites sibi comparandi credi non potest. Gravissimum fuit, quod ille a Calpurnia dictatoris acta consiliaque, quae in posterum conscripserat, accepit. Quod vero Drumannus [3]) Calpurniam vituperavit, quod imprudentius illa Antonio tradidisset, ei assentiri equidem non possum. Nihil melius illa se facere putavit, quam si coniugis amico omnia traderet.

Atque coniurati certiores facti Lepidi milites non iam dicto audientes esse cum Antonio in gratiam redire voluerunt. Quod Antonio gratissimum fuit, quippe qui Lepidum novis rebus studere perspexisset.

Antonius autem Lepidusque cum alios tum Decimum Brutum Albinum pertimescebant, cui a Caesare Gallia Cisalpina cum magno exercitu data erat. Quo factum est, ut eum sibi conciliare constituerent [4]). Dolabella autem adulescens, qui a Caesare iam Roma exituro in reliquam anni partem consul erat designatus, insignibus consulis indutus, praeter voluntatem Antonii nec lege creatus nec praetura perfunctus, convitia contulit in Caesarem, simulans se participem coniurationis fuisse invitumque ab eo occidendo afuisse. Sunt qui referant eum tulisse, ut is dies, quo Caesar trucidatus esset, in posterum natalis urbis celebraretur. Qua re mercenarii animis aucti, quippe qui praetorem et consulem ipsum in suo numero haberent, Cassium eiusque amicos advocaverunt, ut de Capitolio descen-

1) App. 1, 125.

2) App. 3, 4—5.

3) I, 85.

4) App. 2, 124.

derent. Quod factum est, priusquam Brutus rursus in forum veniret, et ante senatum in templo Telluris habitum. Unum autem Cassium unaque Brutum descendisce falso refert Appianus. Hic manum ostentavit, quam Cassius vulneraverat, cum eodem puncto temporis uterque Caesarem peteret. Dio illum diem cum Idibus Martiis confudit.

Cum illi in contionem prodissent, alter alterum laudibus extulit, ambo Decimum Brutum, quod prospexisset, ut ad tempus gladiatores adessent. Populum autem rogaverunt, ut Sextus Pompeius restitueretur; quem tunc legati Caesaris in Hispania bello persequebantur. Brutum autem et Cassium tum de C. Epidio Marullo et L. Caesetio Flavo tribunis plebis de exilio revocandis tulisse falso Appianus 2, 122 memoriae prodidit. Quod iam vivo Caesare factum esse apparet ex Suet. Caes. 80 (cf. Schmidt. l. c. p. 677).

Quid, quod omnino ita, ut Appianus refert, num Brutus locutus sit, dubitamus? Imprudentis enim fuit Caesaris administrationem coram veteranis vexare, quod necatus esset, probare, de Sex. Pompeio revocando rogare, cuius bona in manibus Antonii erant [1]).

Tum demum Dolabella in Capitolium ascendit; nullo modo fieri potest, ut Idibus ipsis eo advenerit [2]) (cf. p. 14). Lepidus autem, foro occupato, ad primam lucem contionem habuit, ubi graves in coniuratos sententiae dicebantur [3]). Cassius autem Brutusque, cum parum adhuc praesenti rerum statu confiderent, in Capitolium redierunt. Eodem propinqui eorum venerunt, quorum nonnulli ad Antonium et Lepidum missi sunt. Nocte Antonius custodias dispertiendas curavit; necessarii coniuratorum per totam noctem cum facibus singulos quisque senatores adierunt, ut illis faverent.

A. d. XVI. Kal. Apriles, Liberalibus [4]), Antonius senatum in aedem Telluris convocavit; ea proxime aberat a Pompei domo

1) Plut. Caes. 67.
2) Drumann I, 87.
3) Dio 44, 22.
4) Cf. Ovid, Fast. 3, 731.

quam tum Antonius habitabat [1]). In curiam, quae sub Capitolio erat, ire non ausus est, quod ibi gladiatores cum coniuratis erant, neque urbem exercitu perterrere volebat. Prima autem luce cum quibusdam senatoribus ad aedem Telluris properavit, eodemque Cinna venit. Qui, cum pridie eius diei vestem, a tyranno datam, deposuisset, illo die eam induerat. Quidam ex civibus et veteranis lapidibus eum insecuti sunt, quia, quamvis Caesaris consanguineus esset, convicia in eum contulisset. Et domum, in quam ille confugerat, incendissent, ni Lepidus cum militibus supervenisset. Qua re coniurati terrore sunt affecti multique Lepido studere coeperunt. Tum Antonius, in Capitolium missis, qui cum coniuratis agerent, suos, quid faciendum esset, rogavit. Atque Lepidus de Caesare ulciscendo cogitari voluit, Hirtius contra cum illis in gratiam rediri. Cuius in sententiam ivit Antonius [2]).

Inter omnes constat a. d. XVI. Kal. Apriles senatum ibi esse habitum. Velleius quidem 2, 58 et Plutarchus (Cic. 42), quonam die id factum sit, non referunt, App. 2,123 ff. et Dio 44,22 senatum habitum esse die post necem Caesaris memoriae prodiderunt, Plutarchus (Ant. 11) post cenam illam apud Antonium et Lepidum factam.

Sed Cic. Phil. 2, 89 aperte id a. d. XVI. Kal. Apriles fuisse ostendit: »neque te illo die neque postero vidi; neque ullam societatem optimis civibus cum importunissimo foedere ullo confirmari posse credidi. Post diem tertium veni in aedem Telluris et quidem invitus, cum omnes aditus armati obsiderent« [3]). Ac maior quidem pars senatorum percussoribus favebat. Quidam fide data eos ad commune consilium adhibendos esse censuerunt. Quod fieri Antonius facile passus est, qui quidem non ignoraret eos non esse venturos. Quod ita evenisse compertum habemus.

1) Garatonius ad Cic. Phil. 2, 88.
2) Nic. Dam. 27.
3) Cf. Nic. Dam. 17; Cic. ad Att. 14, 10,1; 14, 14,2.

Deinde fuerunt qui censerent coniuratis vel praemia esse danda, alii praemia illa quidem concedere noluerunt, quippe qui ne ipsi quidem poposcissent, sed gratias agere eis, ut bene de re publica meritis. Alii solam incolumitatem esse promittendam eis censuerunt.

Quae cum ita essent, magna dissensio est facta. Ad id tempus nihil fecerat Antonius. Tum vero, si illi sibi constare vellent, etiam eis magistratus et provincias esse adimendas professus est, quas per Caesarem accepissent vel ex actis eius essent accepturi. Tum magna sententiarum commutatio est facta. Nonnulli, velut Dolabella, nimis iuveniliter de summa salute agi rati, sententia decesserunt. Quo facto, Antonius orationem habuit, qua pacis causa veteranorumque gratia commendavit, ut acta consiliaque Caesaris retinerentur rataque fierent, auctores necis ne praemiis afficerentur, modo impunitas eis concederetur. Tum in eam sententiam S. C. est factum, ne de Caesare interfecto quaestio haberetur, actaque decretaque rata essent »quod e republica esset«. Id enim, ut apponeretur, amici coniuratorum effecerant.

De actis illis Caesaris, quoniam parum adhuc omnia dilucida sunt, iam paulo accuratius dicam.

Ac primum quidem quid fuerit in actis Caesaris paucis explicemus. Triplicem enim significationem in eo vocabulo inesse docuit Huebner [1]). Liceat mihi pauca ex eis, quae disseruit, in medium proferre. »Nam primum ab eo, quod magistratibus Romanis cum populo agendi ius erat quaecunque magistratus aliquis pro potestate sua vel imperio fecisset *ὅσα ἔπραξέ τε καὶ πράξειεν*, ut Appianus bell. civ. 5, 75 ait, ea acta eius appellabantur. — Ex Cic. Phil. 1, 15—26 apparet, id quod dudum observatum est, acta de eis potius intellegenda esse, quae togatus fecerit magistratus, quam quae paladatus; quare leges, edicta, decreta, iudicia perinde ac liberae reipublicae magistratuum etiam imperatorum in actis fuisse consentaneum est. Deinde non tantum, quae magistratus ali-

1) Jahrbb. f. klass. Phil. III. Suppl. p. 559 ff.

quis egerit, sed etiam, quae de actis suis litteris mandaverit, acta appellata sunt. Quod scriptionum genus, si accuratius loqui volebant, commentarios actorum Romani dicere debebant. Ita *τὰ ὑπομνήματα τῆς ἀρχῆς* vertit Appianus bell. civ. 2, 125; nihil igitur mirum est, quod interdum commentarium dictum invenimus, ubi procul dubio acta intellegenda sunt (Tac. Ann. 15, 74). Ab elegantioribus autem scriptoribus ubique inter acta et commentarios diligenter distinguitur. Tertio denique loco acta vocabulum a duplici, quem significavi, usu secundum recentioris aevi consuetudinem quandam ad duo alia translatum esse video. Etenim apud iudices quoque sive urbanos sive municipales praeter iudicum alba et alia quaedam eius modi etiam de eis, quae in iudiciis agerentur, acta conficiebantur. Liberae vero rei publicae temporibus talia acta nondum in usu fuisse tenendum est. — Ante Caesaris aetatem acta senatus nulla fuisse certum est (Huebner p. 564). Utraque et populi et senatus acta Caesar primus instituit (p. 594). Cf. Sueton. Caesar 20: »inito honore primus instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta confierent et publicarentur«. Et haec quidem Aemilius Huebner. — Acta igitur differunt a gestis, quae quidem significent ea, quae ad rem militarem pertinent [1]). Quamquam Cicero [2]) recte nihil tam esse in actis alicuius quam leges disserit, tamen cum eae tum maxime S. Ca, quoniam non a magistratu fiebant, separabantur ab actis. Imprimis autem usurpatur verbum illud de imperatore, qui res in provincia constituit. Livius 26, 32,5, ubi Siciliam domitam esse memoriae prodidit, acta M. Marcelli nominavit, quae is gerens bellum victorque egisset. Confer quod Appianus 1,97 dicit de Sulla *»οἷ καὶ πάντα, ὅσα διῴκησεν ὁ Σύλλας ὑπατεύων τε καὶ ἀνθυπατεύων, βέβαια καὶ ἀνεύθυνα ἐψηφίζοντο εἶναι«* [3]). Quis est qui nesciat acta Pompei? [4]) Eae potissimum actiones significantur ea voce, quae irritae fieri

1) Suet. Caes. 23.
2) Cic. Phil. 1, 17.
3) Cf. Cic. de lege agraria 3, 5; ad Att. 9, 15,2.
4) Plut. Luc. 36; Pomp. 31, 38. Cf. Mommsen, Römisches Staatsrecht II, 2, p. 868 f. Adnot.

possunt, quamquam eae quoque dici possunt, quae in aeternum valent, velut iudicata [1]). De actis Pompei dissensio coorta est, utrum ea valerent an acta Luculli, quae ab illo irrita erant reddita. Pompeio illi quidem licuit immunitates dare, sed, quicunque ei successit, idem potuit ideoque, ut valerent acta, opus erat S. Co vel lege. Anno autem 42 lege cautum est, ut novi magistratus omnia acta Caesaris dictatoris se servaturos iurarent. Idque ab eo tempore semper factum est, ut, qui magistratum iniret, in acta iuraret et omnium imperatorum et eius, qui rem publicam administrabat. Hoc autem interfuit inter acta magistratuum liberae rei publicae et acta eorum, qui inde ab Augusto principatum obtinebant, ut his agrum publicum venumdandi potestas esset, illis non esset.

Sed iam videamus accuratius, quid gestum sit. Liberalibus enim senatus consultum erat factum, quod secundum Schmidtium hoc fere fuit [2]): »C. Julii Caesaris acta valento; si quae acta in commentariis extant, ea quoque valento«. Antonius igitur, cuius in manibus commentarii Caesaris erant, et qui C. Faberio scriba administro fidelissimo utebatur, ex sua sententia multa addidit, cum diceret Caesarem sibi omnia commississe. Nunc apud Ciceronem (ad Att. 16, 16, 11) scriptum videmus: »deinde, quem ad modum tu scis — interfuisti enim — cum consules oporteret ex senatus consulto de actis Caesaris cognoscere, res ab iis in Kal. Iun. dilata est. accessit ad senatus consultum lex, quae lata est a. d. IV. Non. (Iun.), quae lex earum rerum, quas Caesar statuisset, decrevisset, egisset, consulibus cognitionem dedit«. Adde quod ex sententia Ser. Sulpicii Rufi S. C. factum erat: »ne qua post Idus Martias immunitatis tabula neve cuius beneficii figeretur [3]). Dio quoque huius S. Ci. mentionem facit (45, 23): »*καίπερ ὑμεῖς αὐτὰ ταῦτα προορώμενοι, ἐψηφίσασθε μηδεμίαν στήλην μετὰ τὸν τοῦ Καίσαρος θάνατον, ὡς καὶ παρ' ἐκείνου τῳ*

1) Vell. 2, 20.

2) Schmidtius, l. c. p. 693, cuius potissimum in hac re auctoritatem sum secutus.

3) Cic. Phil. 2, 91; cf. 1, 3.

δεδομένον τι ἔχουσαν στῆναι. καὶ μέντοι καὶ μετὰ ταῦτα ὡς πολὺ τοῦτ' ἐγίγνετο, καὶ ἔλεγεν ἀναγκαῖον εἶναί τινα τῶν ἐν τοῖς γράμμασι τοῖς τοῦ Καίσαρος εὑρεθέντων ἐκλεχθῆναί τε καὶ πραχθῆναι, ὑμεῖς μὲν μετὰ τῶν πρώτων ἀνδρῶν προσετάξατε αὐτῷ ταῦτα διαλέξαι«. Schmidtius [1]) ex Ciceronis Phil. 2, 100 et epistula at Att. 16, 16, 11 S. C. hoc fere fuisse putat: »ut consules cum consilio Kal. Iuniis, quae Caesar statuisset, decrevisset, egisset, cognoscerent, statuerent, iudicarent«. Ex eo, quod Dio consentit cum Cicerone, apparet illud S. C. (ut consules — iudicarent) oppositum esse consiliis illis Antonii, quibus leges Iulias in suam utilitatem everteret. Ciceronis autem illa, quae sunt in epistula ad fam. 12, 1, 2: »cuius aera refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus?« »at enim ita decrevimur.« »Fecimus id quidem temporibus cedentes, quae valent in re publica plurimum, sed immoderate quidam et ingrate nostra facilitate abutuntur« — pertinent ad S. C. illud, quod factum erat a. d. XVI. Kal. Apriles. Haud scio an eodem S. Co consulibus cognitio data sit, quae postea lege Antonia confirmata est. Lex autem Sulpicia data erat, ut Antonii consilia reprimerentur, qui primo quidem omni temperantia usus nihil nisi cum consilio fecerat, sed tum ex animi sententia omnia turbavit. Quod vero postea cognitio Caesaris commentariorum procrastinata est, hac de causa factum est. Antonius enim exeunte mense Aprili iter illud in Magnam Graeciam ingressus est, ut veteranos eo deductos eosque, quos deducturus erat, plane sibi devinciret. Unde a. d. X. Kal. Iun. Romam rediit, ubi per totum illud tempus senatus non habitus erat. Illa lex (ut consules — iudicarent) mense Maio a tribunis quibusdam Antonio infestis promulgata videtur esse. Legem tribuniciam ad S. C. pertinentem datam esse a. d. IV. Non. Iun. elucet ex Cic. ad Att. 16, 16, 11. Sed Antonius post reditum illius rei non iam rationem habuit et senatus in se voluntatem pro nihilo habuit. Ceterum Langius [2]) putat primum quidem a. d. XVI. Kal. Apr. ea esse confirmata, quae iam ante Caesaris mortem

1) l. c. p. 488 ff. — 2) p. 692.

in medium prolata sive in aerarium delata essent. Tum aliis S. Cis ea, quae Caesar de magistratibus et provinciis decrevisset, confirmata esse. Denique Antonium a senatu petivisse, ut sibi liceret alia praeterea decreta, quae in chirographis essent, in medium proferre. Senatum autem, ut Antonii machinationibus obsisteret, ex Ser. Sulpicii Rufi sententia decrevisse, »ne qua post Idus Martias immunitatis tabula neve cuius beneficii figeretur«. Paulo post senatum, cum bene sperare coepisset, quod Antonius legem de dictatura in perpetuum tollenda protulisset, decrevisse, »ut consules — iudicarent«. Antonium autem apud populum a. d. VIII. Kal. Maias, neglecta promulgatione, legem Antoniam de actis Caesaris confirmandis pertulisse, qua vehementer esset auctus. Quae Schmidtius l. c. p. 688 ff. de ea re protulit, parum accurata esse censeo. Acta enim Caesaris dixit esse »vollzogene Amtshandlungen«, deinde ea, quae nondum im aerarium essent delata et depravari possent. Errare existimat Drumannum et Peterum, qui acta idem significare putarent atque commentarios, sed ipse idem fecit cum dicat p. 690: »Wenn darnach acta Caesaris oder, quae Caesar egisset, überhaupt gefälscht werden konnten, so musste doch der Begriff mehr umfassen, als schon ins aerarium abgelieferte Gesetze; es müssen vielmehr acta auch in Commentarien haben existieren können, die noch nicht publiciert, also noch einer Fälschung ausgesetzt waren«. Recte autem Schmidtius mihi videtur dixisse S. Ca de magistratibus et provinciis praeter illud S. C. »C. Iulii Caesaris acta valento« etc. non fuisse. Langius putavit Antonio lege Antonia de actis Caesaris licuisse cum acta Caesaris tum, quicquid Caesar scripsisset, quasi legem proferre, dummodo ad ea confirmanda ad senatum vel populum referretur. Profert Cic. Phil. 5, 10. Sed eo loco acta significant, quod nos dicimus »vollzogene Amtshandlungen« et minime »schriftlichen Nachlass«. Quare Schmidtio auctore hanc coniecturam missam faciamus. Omnibus autem perpensis lex Antonia de actis Caesaris re vera non differebat ab illo S. Co: »ut acta Caesaris valento« etc. Quod ita esse apparet vel ex epistula illa (ad Att. 14, 10, 1), ubi Cicero Liberalibus omnia periisse con-

questus est. Eodem modo etiam S. C., quo dictatura sublata est, lege a consulibus rogata confirmatum est. Quod factum esse ante VII. Id. Apriles, id est, antequam Cicero iter inisset, apparet ex Cic. ad Att. 14, 1 ff. Legem vero una cum Dolabella Antonium rogavisse Dio 44, 51 memoriae prodit. Quam populus circiter a. d. VIII. Kal. Maias ratam fecit. Quid, quod illud quoque S. C., quod factum est a. d. XVI. Kal. Apriles, quo veteranis agri iam designati sunt confirmati, postea lege Antonia de colonis in agros deducendis est confirmatum? Manserunt igitur quae Caesar constituerat non solum tunc, sed etiam postquam insequenti anno mense Februario leges Antoniae irritae sunt factae.[1]) Pansa enim iam ante Idus Februarias legem Vibiam de actis Caesaris promulgavit, quae mense Martio comitiis centuriatis est perlata[2]). Ex eis, quae sunt apud Ciceronem Phil. 5, 10 (»si quam legem — dicitur, easdem leges de integro, ut populum teneant, salvis auspiciis fieri placet«) Langius effici vult pro lege Antonia illa Vibiam legem de dictatura tollenda esse acceptam.

Restat ut exemplis quibusdam ea, quae disseruimus, illustremus. Praebent nobis se causae Buthrotiorum, Iudaeorum, regis Deiotari. Buthrotiorum enim ager vivo Caesare proscriptus erat. Atticus Caesarem per litteras oravit atque obsecravit, ut illis parceret. Deinde Caesar admonuit, ut pecuniam, quam imposuerat, reliquam ad diem solverent Buthrotii. Quo facto, cum Atti cus de suo pecuniam numeravisset, Caesar colonos, qui iam Buthrotum profecturi erant, alium in agrum iussit deduci. Caesare autem interfecto, ut primum ex S. Co causas consules cognoscere instituerunt, res ad eos perlata est. Decretum Caesaris recitatum est et multi praeterea libelli Caesaris prolati. Consules de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios[3]). Ex re illa Buthrotiorum optime cognoscere possumus, qua ratione in talibus rebus constituendis usi sint magistratus Romani. Caesarem videmus

---

1) Cic. Phil. 12, 12; 6, 3; 13, 5; 8, 27. — 2) Cic. Phil. 10, 17; 13, 31

3) Cic. ad Att. 16, 16,4f.; 11. 15; 14, 14,6; 14, 17,2; 14, 19,4; 14, 20,2 15, 2,2.

cum consilio decrevisse et decretum ab eis, qui in consilio fuerant, velut Cicerone, obsignatum esse. Nec minus Cicero (Phil. 1, 2–3) refert Antonium ad eas deliberationes, quas domi haberet de re publica, principes civitatis adhibuisse, ad eum ordinem res maximas detulisse ad omniaque, quae illi rogassent, summa constantia respondisse. Memorabile hoc inest in Buthrotiorum causa, quod acta Caesaris etiam post mortem eius valere placuit.

Sequitur Iudaeorum causa. Ex S. Co apud Iosephum Ant. Iudaic. XIV, 10, 10 apparet a. d. III. Id. Apr. senatum habitum esse ab Antonio et Dolabella consulibus. Ibi aliud S. C. factum comfirmatur, quod a. d. V. Id. Februarias factum nec tamen in aerarium delatum est, quo quidem S. Co Iudaeis et Hyrcano sacerdoti foedus datum est; cuius partes putantur exstare apud Iosephum paullo ante hoc S. C. (Ant. Iud. XIV, 10, § 3—7). Eorum S. Corum prooemium, ut ita dicam, exstat 10, 7: *Γάιος Καῖσαρ — λόγους ἐποιήσατο περὶ τῶν δικαίων τοῦ Ὑρκανοῦ τοῦ Ἀλεξάνδρου, ἀρχιερέως Ἰουδαίων καὶ ἐθνάρχου, τοιούτους ...... καλῶς ἔχει καὶ ἡμᾶς ἀπομνημονεύειν καὶ προνοεῖν, ὅπως Ὑρκανῷ καὶ τῷ ἔθνει τῶν Ἰουδαίων καὶ τοῖς Ὑρκανοῦ παισὶν ὑπὸ συγκλήτου καὶ δήμου Ῥωμαίων ἀξία τῆς πρὸς ἡμᾶς εὐνοίας αὐτῶν καὶ ὧν εὐεργέτησαν ἡμᾶς χάρις ἀνταποδοθῇ*«. Et multa viri docti de his decretis, quibus Iulii Caesaris in Iudaeos beneficia contineretur, coniecerunt, quo modo inter se et cum illo S. Co cohaereant; nam parum sunt apte disposita et tamquam vi disiecta. Niesius (Hermes XI. p. 486) putavit omnia ad illud S. C. pertinere, quod a. d. V. Id. Febr. datum est. Mihi aliud in mentem venit. Cum enim (§ 3) Iosephi verba: »*Γαΐου Καίσαρος, ὑπάτου δεδογμένα, συγκεχωρημένα, προσκεκριμένα* — mirum in modum similia sint eis: »quae lex earum rerum, quas Caesar statuisset, decrevisset, egisset, consulibus cognitionem dedit«, — quibus acta Caesaris significantur, ex commentariis Caesaris haec Iosephi petita esse conici potest, quos secutus Antonius S. C., quod iam a. d. V. Id. Febr., cum Caesar senatui praeesset, factum erat, senatui denuo proposuit, ut tum quidem a quaestoribus in aerarium deferri posset.

Postrema est causa regis Deiotari. Iam anno 45 mortuo Mithridate Pergameno res Galatiae mutatae erant, et Deiotarus id videtur egisse, ut omni Galatia, etiam ea parte, quam habuerat Mithridates, potiretur. Deiotaro obstitit Castor, qui et ipse erat ex regio Gallograecorum genere. Caesar nihil constituit, videtur enim rem protulisse, donec ipse in orientem veniret, cum Parthis bellum illaturus esset. Eo autem interfecto Deiotarus omnia, quae Caesar ei eripuerat, in suam rursus potestatem redegit. Magna vero pecunia rem eo perduxit, ut Antonius ex actis Caesaris illi omnia confirmaret et decreto totum imperium Deiotaro deferret. Antonius legem Iuliam de rege Deiotaro promulgavit, ex qua Deiotarus ita est restitutus, ut a Caesare vix sperare potuit [1]). Videmus igitur ea ab Antonio perfecta esse, de quibus sine dubio Caesar commentarios reliquerat, neque Antonium in omnibus rebus suam secutum esse libidinem arbitriumque. Confirmatur igitur quodammodo, quod Appianus dicit (l. c. 382) nihil aut parva Antonium ipsum, sed omnia ex Caesaris commentariis fuisse. (*Ἀντώνιος γὰρ οὐδὲν αὐτός, ἢ πάνυ σμικρά, πάντα δὲ ἐκ τῶν Καίσαρος ὑπομνημάτων διῳκήκει*). Nam etsi concedendum est Appianum rem in maius auxisse, tamen exemplis, quae supra demonstravimus, Antonium res a Caesare institutas perfecisse confirmatur. Nec minus haec exempla docent ea, quae Cicero de Antonio protulerit, caute esse accipienda, cum ille incredibili quodam in Antonium odio impletus eum omnia suo ipsius arbitratu fecisse argueret.

Cap. II.

De bello Mutinensi.

Quoniam de actis Caesaris dixi, nunc ad ipsum bellum Mutinense accedo. Quod ut melius intellegatur, ea quoque, quae praecedunt, breviter percurram. M. Brutus in Capitolio a. d. XVIII. Kal. Apriles orationem habuit, qua veteranis pollicitus est se

1) Cic. Phil. 2, 94. Cf. Niesius, Rhein. Mus. XXXVIII, p. 595 ff.

acta Caesaris nullo modo violaturum esse. Sed non ante coniurati de Capitolio descenderunt, quam Antonii Lepidique filios obsidum loco accepissent. Id factum esse a. d. XVI. Kal. Apriles constat, quamquam Appianus eos a. d. XV. Kal. Apriles descendisse tradit [1]). Paucis diebus post Caesar elatus est [2]). Tum provinciae distributae sunt [2]). C. Asinio Pollioni obtigit Hispania ulterior, M. Aemilio Lepido Hispania citerior et Gallia Narbonensis, A. Hirtio, cui Aurelius est substitutus, Galliae ea pars, quae spectat inter septentriones et orientem, D. Bruto Gallia Cisalpina, duabus additis legionibus, C. Trebonio Asia, Tillio Cimbro Bithynia, L. Statio Murco (quem Q. Marcius Crispus contra Caecilium Bassum adiuvit) Syria, Q. Hortensio Ortalo Macedonia, Q. Cornificio Africa, T. Sextio Numidia, P. Vatinio Illyria, M'. Acilio Glabrioni Achaia, A. Pompeio Bithynico Sicilia [3]). In annum 43 decretum est, ut Macedonia ad M. Brutum, Syria ad C. Cassium transferretur; minus accurate Plutarchus (Brut. 19): *»Βρούτῳ μὲν γὰρ ἐψηφίσαντο Κρήτην, Κασσίῳ δὲ Λιβύην, Τρεβωνίῳ δὲ Ἀσίαν καὶ Κίμβρῳ Βιθυνίαν, τῷ δ'ἑτέρῳ Βρούτῳ τὴν περὶ Ἠριδανὸν Γαλατίαν«.* Senatus decrevit, ut consules et tribuni iam creati et consules tribunique in Caesaris chirographo designati iure creati designatique agnoscerentur [4]). A. d. XVIII. Kal. Maias Brutus et Cassius Roma decesserunt. Cicero, cum iter in Magnam Graeciam et Siciliam iniisset, de rerum statu certior factus Romam rediit (pridie Kal. Sept.). Ibi Kalendis Sextilibus Piso gravem in senatu orationem in Antonium habuerat. Quod idem fecit Cicero a. d. IV. Non. Sept. A. d. VII. Id. Oct. Antonius Brundisium profectus ibi milites suos, qui secessionem fecerant, gravissimis poenis affecit. Ac primo quidem silentium egerunt milites, timore atque ira obstupefacti. Tum vero, cum in Galliam proficisceretur Antonius eo consilio, ut provincia

1) Cf. Cic. Phil. 1, 31.
2) Nic. Dam. 28.
3) Lange, Röm. Altertümer III, 464 f.
4) Cic. ad Att. 14, 6,2; 14, 9,2; 14, 12,2; ad fam. 10,1,1; 10,3,3; 10,8 10,14; ad Brut. 1,1,1; Vell. 2,58. Dio 44,14; 46,53. Nic. 22. 28; App. 4,132.

Decimo decreta potiretur, tota legio Martia et quarta ad Octavianum transierunt. Qua de re certior factus Antonius Ariminum est profectus, postquam effecit, ut Gaio fratri daretur Macedonia [1]). Speravit enim se rem eo deducturum esse, ut ex Gallia provincia, sicut olim Caesar, facillime rerum potiretur. In Galliam cum veteranos tum tres legiones duxit, quarum duas ipse secum habebat, tertiam Lucius frater postea adduxit [2]). Decimum Brutum provincia decedere nolle in senatu a. d. XIII. Kal. Ianuarias est relatum [3]). Antonio autem Mutinam obsidente, Hirtius et Pansa, novi consules, cum ex more senatum convocassent, de re publica retulerunt, de Mutina obsessa, de honoribus praemiisque decernendis, de quibus a. d. XIII. Kal. Ian. S. C. erat factum [4]). Qui primus sententiam rogatus est, tulit, ut legati mitterentur, qui efficerent, ut Antonius Brutum oppugnare desineret. Cicero autem parum convenire censuit senatus dignitati, quod ad eum mitterentur legati, qui paucis ante diebus commisisset, ut gravissima de se in senatu iudicia fierent. Nihilominus placitum est, ut mitterentur, qui illi nuntiarent, ne consulem designatum oppugnaret, Mutinam ne obsideret, ne provinciam depopularetur, ne delectus haberet, esset in senatus populique Romani potestate. Ex App. 3, 51. 88, Dione 46, 29 apparet decretum esse, ut Caesar adulescens in senatum legeretur liceretque ei decem annis ante tempus legitimum consulatum petere. Octavius enim, pronepos Caesaris ex sorore, in annum magister proavunculi fuerat. Tum Apolloniam missus est, ut ibi litteris operam daret. Sextum autem mensem cum ibi ageret, Caesarem necatum esse certior factus in Italiam rediit. Cum Lupias navem appulisset ibique etiam accuratius de testamento Caesaris audivisset, omni periculo spreto Brundisium adiit et Caesaris nomen assumpsit. Tum Romam venit; omnesque iam boni magna de eo sperare coeperunt. Nam brevi satis magnam manum veteranorum comparavit at-

1) Cic. Phil. 3, 26. App. 3, 46.
2) Cic. Phil. 3, 31.
3) Cic. Phil. 3, 8.
4) Argument. P. Manutii ad Cic. Phil. 5.

que adeo duae legiones ex Antonii exercitu ad eum transierunt, quo factum est, ut eius opera Antonii potentiam minui posse senatus speraret. Kalendaria[1]) imperium ad eum delatum esse dicunt a. d. VII. Id. Ian.; quod factum esse Spoleti apparet ex Plinio[2]) (nat. hist. 11, 196). Rogante vitrico L. Marcio statua equestris Octaviano decreta est[3]). In nummis statuae inscriptum est »Populi Iussu«[4]). Deinde tulit Marcius, ut milites, qui Antonium reliquissent, ipsi et liberi stipendiis solverentur utique eis magna pecunia cum agris promitteretur[5]). Cui Salvius tribunus plebis intercessit et tulit, ut sententiam loco consulari Caesar diceret, cum de praetorio loco Cicero suasisset, consulatumque decem annis antequam per leges liceret, petere posset. Quod P. Servilio placuisse Cicero (ad Brut. 1, 15) scribit, utique cum Pansa et Hirtio consulibus bellum Antonio inferret, nisi ex Galliae discessisset; et simul de laude D. Bruto tribuenda, quia, privato consilio exercitu comparato, Antonium Gallia prohibuisset, S. C. esse factum Appianus et Dio memoriae prodiderunt.

Missi sunt ad Antonium Serv. Sulpicius Rufus, L. Calpurnius Piso, L. Marcius Philippus, qui postularent, ut ille Roma abesset ducenta milia passuum sibique aditum ad Dec. Brutum daret. Antonius autem senatui obtemperare animum inducere non potuit. Legati, cum redissent, inaudita quaedam Antonii postulata detulerunt ad senatum. Tum vero senatus in sententiam L. Caesaris tumultum decrevit[6]). Magnus autem numerus eorum, qui Antonio studebant, partim ad eum palam profecti sunt, quo in numero quidam quoque ex tribunis plebis, velut L. Decidius Saxa[7]), praetoribusque, velut L. Marcius Censorinus et P. Ventidius[1]), partim Romae manentes pro virili parte res Antonianas augebant, velut Fufius Calenus[2]). Atque adeo P. Ventidius in colonias profectus, duabus veteranorum legionibus coactis, cum Romae appropinquaret, Ciceronem potissimum ut comprehenderet, magnus eos timor incessi, multique urbe profugerunt. Sed cum ad Antonium proficisceretur, ab Hirtio et Caesare impeditus est, ne ad eum perveniret. Quae cum ita essent, in Picenum conversus aliam legionem ibi composuit[3]).

1) Fer. Cum. et ara Narbonensis, Wilm. 104.
2) Cf. Mommsen, C. I. L. 1, p. 383. Staatsrecht 1, 442 A, 3. 443 A, 1. 549 A, 1. res gestae Divi Augusti p. 5.
3) Cic. ad Brut. 1, 15,7. Dio 46, 29. Vell. 2, 61, 3.
4) Cf. Eckhel, Doctrina Nummorum veterum 6, 73.
5) Cic. Phil. 7, 10. App. 3, 51. Dio 46, 29.
6) Cic. Phil. 8, 1.
7) Caesar, l. c. 1, 66.

Quae dum geruntur, M. Bruti litterae Romam allatae sunt. Qui cum Cassio Athenas profectus, exercitu celeriter coacto, in Macedoniam se contulerat. Ibi habuit legiones, quas Q. Hortensius Ortalus conscripserat, et quas C. Antonio dare debuit[4]). Item P. Vatinius, qui etiam tunc Illyrico praeerat, ei Dyrrhachii legiones, in quibus C. Antonius omnem spem posuerat, tradidit. C. autem Antonius, cuius consilia ea re plane ad irritum ceciderant, Apolloniae cum septem cohortibus commoratus est[5]). Neque defuit Bruto pecunia, quam et ab M. Appuleio quaestore, qui ex Asia a C. Trebonio redierat, et a C. Antistio Vetere quaestore, qui ex Syria reverterat, acceperat. Cum de Bruti litteris mense Februario in senatu, quem Pansa habebat, ageretur, Cicero rogavit[6]), ut M. Brutus iuberetur cum exercitu Macedoniam et Graeciam defendere et cum exercitu quam proxime esse Italiam. Q. Hortensius cum Bruto esset, quoad senatus nominaret, qui succederet. Quamquam vero Fufius Calenus tulerat, ut legiones M. Bruto adimerentur[7]), atque etsi non veterani modo Caesaris, sed etiam Octavianus aegerrime ferebant, quod Brutus adeo honoribus afficeretur[8]), tamen S. C. in Ciceronis sententiam factum est. Mense autem Martio Romam nuntiatum

1) Nic. 26. Cic. ad Att. 14, 10,2.
2) Dio 46, 32.
3) App. 3, 66. 72. Cic. Phil. 12, 23.
4) Dio 47, 20 ff. Plut. Brut. 24 ff. Vell. 2, 69 f.
5) App. Illyr. 13. b. c. 4, 75.
6) Cic. ad Brut. 2, 5,4. Cic. Phil. 3.
7) Cic. Phil. 10, 4—6.
8) Dio 47, 22. Vell. 2, 65.

est C. Trebonium a Dolabella Smyrnae esse trucidatum. Quo facto ipse tum Calenus rogavit, ut Dolabella hostis populi Romani iudicaretur, cui omnes boni assensi sunt. Postridie autem eius diei, cum in senatu, quem Pansa habebat, ageretur, cuinam bellum Dolabellae inferendum traderetur, Cicero eam occasionem aucupatus tulit, ut C. Cassius pro consule esset in Syria maiusque ei quam eis, qui ibi res administrabant, daretur imperium [1]), neque vero effecit, cum Pansa obsisteret, qui Caesaris amicus erat, neque Cassii copias nimis augeri volebat. Is enim aperte, quid de re publica sentiret, profiteri animum inducere non potuit. Postea videbimus eum diu cunctatum esse multumque temporis trivisse, antequam Roma in Antonium proficisceretur. Pansa auctore placitum est, ut, Decimo liberato, consules de Asia et Syria provinciis inter se compararent, quique obtinuisset Syriam, bellum Dolabellae inferret.

Iam vero redeamus ad D. Brutum, qui vehementer ab Antonio Mutinae oppugnabatur (ad fam. 12, 6,2: »vix sustinebat«). Imperatores ita rem inter se partiti erant, ut Hirtius cum Octaviano coniunctus eum aggredi statueret: Antonii praesidium Claterna deiecit deque ea re ad senatum epistulam scripsit (cf. ad fam. 12, 5,2). Caesarem iam, antequam id bellum ei delatum esset, arma contra Antonium movisse neque quicquam memorabile effecisse, ex Dione 46, 35 liquet. Interim Piso et Calenus id egerunt, ut in gratiam rediretur cum Antonio, et paulo post a. d. VII. Kal. Martias [2]) adsentiente etiam Cicerone altera legatio decreta est octo consularium [3]). P. Servilius Isauricus, L. Caesar, Piso, Calenus in iis erant, etiam Cicero [4]), nec vero quicquam effectum est. Paullo post Pansa quoque exercitu comparato Roma profectus est, ut se cum Hirtio et Octaviano coniungeret; id quod quando factum sit, perspicitur ex Cic. ad fam. 12, 52, 1 [5]), ubi Cicero Pansam

1) Cic. Phil. 11.
2) Cic. Phil. 12, 3.
3) Cic. Phil. 12, 16 f.
4) Cic. Phil. 13, 36.
5) ad Cornificium, exeunte Aprili.

Quinquatribus litteras Cornificii frequenti senatu recitasse scribit. Quinquatrus erant a. d. XIV. Kal. April. (cf. Ovid. Fast. III, 809 ff.). Ex Cic. ad fam. 10, 10,1 videri potest Pansam non post diem III. Kal. April. profectum esse. Vulgo id factum esse a. d. XIII. Kal. Apr. fertur. Etiam post discessum Pansae litterae Lepidi et Planci sunt allatae, quibus senatui suadebant, ut in gratiam rediret cum Antonio, id quod Cicero aegerrime tulit [1]).

A. d. V. Id. Apr. litterae allatae sunt P. Lentuli Spintheris, qui pro quaestore in Asia erat, quibus accuratius de C. Cassio relatum est [2]). Postridie autem litteris M. Bruti omnia ita esse confirmatum est. Cassius enim a Lentulo pecunia auctus [3]) Apameam se contulerat et ineunte mense Martio effecerat, ut Murcus et Crispus suos quisque milites sibi traderent. Bassum milites coegerunt, ut exercitum Cassio committeret. Etiam quattuor illae legiones, quae post Caesaris bellum Alexandrinum erant Alexandriae, et quas A. Allienus, Dolabellae legatus, ex Aegypto ad Dolabellam adduxit, ad Cassium transierunt. Idibus Aprilibus in senatu epistula M. Bruti recitata est, qua C. Antonium in sua potestate esse scripsit [4]). — Sed redeat, unde deflexit oratio. Hirtius enim et Caesar, cum Bononiam praesidio vacuam nullo certamine recepissent equitesque hostium fugassent, Mutinam appropinquaverunt. Eodem fere tempore Pansa Roma profectus cum Hirtio se coniuncturus erat. Priusquam advenisset, Antonius, cum non iam sperare posset Brutum se dediturum, Lucium fratrem reliquit, qui illum oppugnaret; ipse contra Caesarem et Hirtium profectus est. Cum utraque castra opposita essent, per aliquot dies leviora equitum certamina facta sunt Marte ancipite, donec equites Celtici, qui cum elephantis in Caesaris manus inciderant, rursus ad Antonium transierunt. Et cum una cum ceteris Caesarianis ex castris egressi extra aciem ivissent, brevi in ipsos Caesarianos, qui imprudentius eos

1) ad fam. 10, 6,1; 10, 27.
2) ad Brut. 2, 2,3.
3) ad fam. 12, 14,5 f. Lange, l. c. p. 532 f.
4) Lange III, 532—33. P. Meyer, l. c. p. 26—27.

subsecuti erant, conversi magnam stragem ediderunt. Vehemens coortum est proelium, unde superior discessit Antonius. Qua re valde animo auctus, cum Pansam appropinquare sensisset, hostium castra aggressus est, sperans, si ea antea cepisset, eo facilius se rem totam confecturum esse. Itaque, cum Caesar Hirtiusque et memores cladis modo acceptae et sperantes fore, ut Pansa Bononia sibi subveniret, castris se tenerent eaque custodirent, Antonius partem copiarum ad hostium castra oppugnanda reliquit, et, ut ipse omnino se adesse simularet, veritus, ne a tergo circumveniretur, clam nocte Pansae obviam ivit, qui tum a Bononia adventabat. Obviam ei factus est apud Forum Gallorum, erat is locus inter Bononiam et Mutinam prope angustias, quae Pansae erant superandae.

Iam vero in summum discrimen res est adducta atque a. d. XVII. Kal. Maias apud Forum Gallorum proelium factum est. Optime de eis rebus, quae illo die gestae sunt, certiores sumus facti epistula ea, quam Serv. Sulpicius Galba a. d. XII. Kal. Maias ex castris ad Caesarem misit. Galba enim Caesare duce in Gallia legatus stipendia meruerat, postea, cum in consulatu petendo repulsam tulisset, coniurationis de Caesare necando particeps factus est. Sic enim Antonius in litteris, quas ad Hirtium et Octavianum dedit, de eo scripsit: »Ser. Galbam eodem pugione succinctum in castris videtis«. Quamquam Cicero (Phil. 13, 33) falso id Galbae crimini dedisse Antonium professus est. Hanc Galbae epistulam (ad fam. X, 30) F. Hofmannus[1]) scriptam putat a. d. XVI. Kal. Maias, secutus Manutii auctoritatem. Sed in codice Mediceo scriptum legimus a. d. XII. Kal. Maias[2]). Idcirco Manutium a. d. XVI. Kal. Maias legi voluisse puto, quod Galbae epistula missa est »ex castris«, iis scilicet, in quae post ipsum proelium reverterunt milites. Miramur tamen, quod, cum accurate scribat a. d. XVII. Kal. Maias proelium factum esse, non dixerit id accidisse pridie eius diei, quo epistulam dedit. Quamquam concedo

1) Ausgewählte Briefe etc. II, p. 166.

2) Baiter-Kayser, M. Tullii Ciceronis opera, Vol. IX, adnot. crit. p. XLV.

transiissent, legiones tricesima quinta et secunda remanserant. Accessit pars veteranorum; denique Antonius M. Silanum, qui a Lepido ex Gallia Narbonensi in Cisalpinam missus parum sciebat, utrius partes ex eius voluntate sequeretur, adduxit, ut sibi cohortem praetoriam traderet. Plurimum valuit equitatu, quamquam eo parum uti poterat prae loci natura impedita[1]). Sed magno vehementique errore Antonius est ductus, cum adversarios modo tirones habere putaret, quos sibi opponerent. Ea enim nocte, quae inter a. d. XVIII. et XVII. Kal. Maias erat, Hirtius Pansae a Bononia cum quattuor legionibus adventanti, ad quem iam antea Galba se contulerat, legionem Martiam obviam misit, additis et sua ipsius et Octaviani cohortibus praetoriis, quibus praefecit Dec. Carfulenum[2]). Antonius, ut adversarios falleret, per silvas, quae in Aemilia via erant, insidiis dispositis hostes exspectabat[3]).

Quo melius ordo proelii possit perspici, hoc loco rem ita explicabo, quasi inde ab initio omnes copiae in certamen descenderint[4].) Legioni enim tricesimae quintae erant oppositae octo legionis Martiae cohortes, quibus praeerat Carfulenus; ibi Galba quoque erat. In via Aemilia pugnaverunt cohortes praetoriae Antonii et Silani contra Octaviani cohortem praetoriam. In dextro cornu Antonii erat secunda legio; cui obstiterunt duae reliquae legionis Martiae cohortes, deinde cohors praetoria Hirtii, cui praeerat Carfulenus. Pansa autem ex quattuor legionibus duas in castris reliquerat, quibus Torquatum quaestorem praefecerat. Ipse cum legione Martia et duabus illis cohortibus praetoriis in sinistro cornu processit, postquam praecepit, ut duae sese subsequerentur legiones. Sed priusquam adveniret, Pansa invitus impetu legionis Martiae vehementissimo coactus est, ut proelium committeret. Antonius autem, cum non igno-

1) *οὐκ ἔχων τοῖς ἱππεῦσιν ἐλλαμπρύνασθαι διὰ τὸ πεδίον ἑλωδέστερον ὂν καὶ τεταφρευμένον* (App. 3, 66).

2) Quod apud Appianum scriptum invenitur: *Καρσουλήϊος*, codicum culpa factum est.

3) Frontin. strateg. 2, 5,39.

4) Cf. Drumann, l. c.

raret illam legionem eo die omni studio enisuram esse, ut iniurias sibi oblatas ulcisceretur, ei insidias locare conatus tricesimam legionem reduxit. Quo facto, cum adversarii incautius secuti quingentos passus ultra aciem processissent, ubi antea fuerant, tum vero Antonii equites, in quibus Mauri quoque erant, cum ex insidiis erupissent, exanimatos illos adeo perculerunt, ut brevi omnia perturbarentur. Galba magnum in periculum venit, ne a suis ipse interficeretur, cum medios in hostes incurrisset. Vehementissime etiam in via Aemilia dimicatum est, ubi Octaviani cohors praetoria caesa est. Praeclare de ea pugna scripsit Appianus (3, 68). In sinistro autem cornu, postquam diu ancipite Marte pugnatum est, cum Pansa consul vulnus accepisset, eo quoque loco redeundum erat, praesertim cum periculum esset, ne ab equitibus Antonii circumvenirentur milites. Quo facto ille castra hostium, quae inter pugnam a Torquato quaestore erant vallo munita, oppugnare instituit. Celerrime tirones[1]) tutum illum locum petiverunt, ubi consisterent, legio Martia iuxta vallum impetum sustinuit, et quamquam attenuati erant ordines, dignam se praestitit, quae illo nomine ornaretur[2]). Iam vero Antonius superior discessurus erat visus iamque milites eius exultantes in castra redire instituerunt, cum subito eodem loco, quo bene modo rem gesserant, a recentibus copiis petiti sunt. Aulus enim Hirtius, cuius castra circiter sexaginta stadia aberant a Foro Gallorum, cum quarta et septima legione ad tempus advenit, ut Antonio victoriam e manibus eriperet. Tum vero vehementissime pugnatum est, Hirtius ipse, ut milites ad quaevis pericula subeunda impelleret, aquilam tenens in medios hostes se dedit. Quo factum est, ut nocte oborta Antonius fuga salutem peteret, duabus aquilis et sexaginta signis amissis. Nec vero Hirtius victoria sic uti potuit, ut plane deleretur Antonii exercitus. Nox enim irruit et loci natura Hirtius,

1) App. 3, 69: *καὶ οἱ νεήλυδες ἰδόντες ἔφευγον ἀτάκτως καὶ μετὰ βοῆς ἐς τὸ χαράκωμα, ὅπερ αὐτοῖς ἐξείργαστο ὁ ταμίας Τορκουᾶτος συνεστώσης ἔτι τῆς μάχης ὑπονοήσας ἐν χρείᾳ γενήσεσθαι.*

2) Cic. Phil. 14, 27.

ne strenue celeriterque hostes persequeretur, impeditus est. Tum Hirtium in ea castra redisse Galba scribit, unde Pansa exiisset. Quae dum geruntur, Caesar quoque adulescens rem bene gesserat, absente enim Hirtio castra eius paucis cohortibus contra L. Antonium defenderat[1]). Proelio confecto et consules et Caesar a militibus imperatores snnt appellati.

In Galbae epistula tria desideramus: ac primum quidem Carfulenum non nominat, tum nihil dicit de Pansa vulnerato, denique Octavianum neque participem fuisse proelii neque eum consulesque imperatores esse appellatos commemorat. Omnino eas potissimum proelii partes descripsit, quibus ipse affuerat; timere fere videtur, ne multis nominibus proferendis eius, qui legit, animum a se avertat. Pansam ante Hirtii adventum gravem cladem subiisse fere omnes testantur. De Pansa vulnere Orosius (VI, 18) sic scribit: »Pansa primo veniens, exceptus insidiis, inter suorum clades ipse quoque pilo graviter vulneratus, ab eodem vulnere interpositis diebus est mortuus«. Iam brevi post minus bene de Pansa dictum est, velut Liv. 119: »cum Pansa consul male adversus Antonium pugnavisset; cf. Dio 46, 38: »καίπερ κακῶς ἀπαλλάξας«. Ante omnia autem consideranda sunt, quae Cicero ad Brut. 1, 3, 4 scripsit: »nam Pansa fugerat vulneribus acceptis, quae ferre non potuit«. — Quid, quod ex eo maxime loco spuriam esse epistulam illam Meyer putavit, non quidem, ut mihi videtur, recte. Ex nostro loco efficitur post alteram demum pugnam Mutinensem Antonium hostem esse iudicatum, cf. § 4: »hostes autem omnes iudicati, qui M. Antonii sectam secuti sunt«. Langius affert, ut hoc probetur, ad Brut. 1, 5, 1: »cum de eis, qui hostes iudicati sunt, bello persequendis sententiae dicerentur« etc. Mea quoque sententia recte Antonium post alteram demum pugnam Mutinensem hostem esse iudicatam putamus.

Iam vero quod attinet ad pugnam inter Hirtium et Antonium factam, Cicero (Phil. 14, 10) memoriae prodidit Hirtium tribus An-

1) Cic. ad fam. 10, 30. Phil. 14, 25ff. Liv. epit. 119. Dio 46, 37.

tonii legionibus oppositum fuisse. Ciceronem de industria eum numerum perverse attulisse, scilicet quo magis Hirtii virtutem usumque militiae laudaret, tum denique credendum erit, si eum falsa retulisse comprobatum erit. Potuit vero Cicero in imperatorum epistula, quam ad senatum miserant, scriptum invenisse Hirtium cum tribus hostium legionibus decertantem superiorem discessisse. Cui id minus videtur, eum ad Garatonium accedat rogo (ad Phil. 14, 10, 27). Liceat mihi eius verba hoc loco afferre: »Iam vero praeter duas illas legiones Galba scribit Antonium eduxisse cohortes praetorias duas, unam suam, alteram Silani, evocatorum partem. Si duae solae cohortes pars evocatorum appellarentur, ad tertiam legionem explendam cohortes octo deessent. Est igitur verisimile praetoriis cohortibus aliquot alias veteranorum accessisse, ut milites hi simul omnes numerum prope iustae legionis efficerent. Hi autem veterani erant evocati, quos nimirum ex coloniis evocarat Antonius: cuius generis legionem habebat integram, ut ex Appiano 3, 46 liquet, et cohortem insuper praetoriam ex omni numero delectorum. Tertia istaec legio a Tullio adiungitur, non quia legio revera esset, sed quia cohortes praetoriae, quae extra legiones numerabantur, et evocati, quorum ex legione extraordinaria pars adfuerat, parum ab eo numero militum aberant, quem legio requens habere solet«.

Paucis post pugnam apud Forum Gallorum factam diebus Pansa ex vulnere mortuus est Bononiae a. d. IV. Kal. Maias [1]). Suetonius [2]) refert, quae mala fama de Octaviano pervulgata sit: »Rumor increbuit ambos opera eius (Octaviani) occisos . . . Pansae quidem adeo suspecta mors fuit, ut Glyco medicus custoditus sit, quasi venenum vulneri indidisset«. Hoc utrum verum sit necne, diiudicari non iam potest. Romae autem Pansae litteras Cicero apud populum, Caesaris epistulam modo in senatu recitavit. Perfecit, ut dierum quinquaginta [3]) supplicatio haberetur, con-

1) Langius III, 534.
2) Oct. 11. cf. Cic. ad Brut. 1, 6,2. Tac. ann. 1, 10.
3) quidam referunt sexaginta.

sulum exercitus Decimo eidemque bellum Antonianum traderetur publiceque ei gratiae agerentur, quod Antonium devicisset. De Caesare nihil in decreto, ne nomen quidem commemoratum est [1]). Utrum Caesar pugnis illis, quae apud Forum Gallorum fiebant, interfuerit necne, iam paulo accuratius videamus. Galba de eo nihil refert: ex reliquis auctoribus nostris compertum habemus item eum atque consules a militibus exultantibus vesperi imperatorem esse appellatum idque nomen ei a senatu quoque esse confirmatum [2]). In feriali Cumano v. 14 haec scripta invenimus: »Apr. 14: Eo die Caesar primum vicit. Suppli]catio Victoriae Augustae«. Atque Mommsenius ea victoria dictum esse censet proelium apud Forum Gallorum factum. Octavianum quidem a. d. XVIII. Kal. Maias apud Mutinam dimicavisse constat ex Ovidio (Fast. 4, 621 ff.):

»Occupat Aprilis idus cognomine Victor
Iupiter: hac illi sunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
Atria Libertas coepit habere sua.
Luce secutura tutos pete navita portus:
Ventus ab occasu grandine mixtus erit.
Scilicet, ut fuerit, tamen hac Mutinensia Caesar
Grandine militia perculit arma sua«.

Atqui Suetonius (Aug. 10): »Octavianus — bellum confecit tertio mense, duobus proeliis. Priore Antonius eum fugisse scribit ac sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse: sequenti satis constat non modo ducis, sed etiam militis functum munere: atque in media dimicatione, aquilifero legionis suae graviter saucio, aquilam humeris subiisse diuque portasse«.

Ovidii autem testimonium, unde apparet Octavianum apud Mutinam a. d. XVIII. Kal. Maias vicisse, quomodo coniungendum sit cum Antonii illo testimonio, quo memoriae proditur eum fuga salutem petivisse et biduo post comparuisse, intellegi non potest, si Antonii illud pertinere putamus ad proelium apud Forum Gallorum factum. Constat enim Octavianum eo confecto

1) Cic. ad Brut. 1, 15,9. App. 3, 74.
2) Cic. Phil. 14, 11, Dio 46, 38. Mommsen, Röm. St.-R. 1, 105.

imperatorem esse appellatum a militibus idque ideo, quia absentibus consulibus castra fortissime defendisset neque invito Marte, ut ita dicam; quare a. d. XVIII. Kal. Maias Hirtium et Octavianum una contra M. et L. Antonios dimicasse statui potest. Nocte autem quae hunc diem insequeblur, Antonius, fratre relicto, profectus est, ut cum Pansa confligeret, antequam is cum illis arma coniunxisset. Hirtius autem a. d. XVIII. Kal. Maias vesperi castra Octaviano defendenda dedit, et is magnam laudem est consecutus, quod, quamquam Hirtio absente valde im minutis copiis utebatur, tamen hostes a castris repulit. Fugisse igitur Octavianus neque a. d. XVIII. neque XVII. Kal. Maias putandus est. Nihilominus retinere possumus ea, quae Antonius apud Suetonium de Octaviano scripsit. Est enim apud Dionem (46, 37) accurata descriptio proelii cuiusdam ad Scultennae ripas facti: *»Ὁ οὖν Ἀντώνιος ἰδὼν ὅτι Δέκιμος οὐκ ἐνδωσείει, ἐκείνῳ μὲν Λούκιον τὸν ἀδελφὸν παρακατέλιπεν, αὐτὸς δὲ ἐπὶ τὸν Καίσαρα καὶ ἐπὶ τὸν Ἵρτιον ἐχώρησε. καὶ αὐτῶν ἀντιστρατοπεδευομένων ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἱππομαχίαι τινὲς βραχεῖαι καὶ ἰσοπαλεῖς ἐγένοντο, μέχρις οὗ οἱ Κελτικοὶ ἱππεῖς, οὓς μετὰ τῶν ἐλεφάντων ὁ Καῖσαρ προσεπεποίητο, πρός τε τὸν Ἀντώνιον αὖθις ἀπέκλιναν κἀκ τοῦ στρατοπέδου μετὰ τῶν ἄλλων ἐξελθόντες προεξώρμησαν μὲν ὡς καὶ καθ' ἑαυτοὺς τοῖς ἀντιπροσελάσασι προσμίξοντες, ὑπέστρεψαν δὲ δι' ὀλίγου καὶ παρὰ δόξαν μὴ προσδεχομένοις τοῖς ἐφεπομένοις σφίσι προσπεσόντες, συχνοὺς αὐτῶν ἀπέκτειναν. καὶ μετὰ ταῦτα προνομεύοντές τινες ἀπ' ἀμφοτέρων εἰς χεῖρας ἦλθον κἀκ τούτου τῶν λοιπῶν ἐπιβοηθησάντων ἑκατέροις μάχη τέ σφων ὀξεῖα ἐγένετο καὶ ἐκράτησεν ὁ Ἀντώνιος.«*

Drumanno concedo nuntium de Antonii victoria, qui a. d. XIII. vel XII. Kal. Maias Romam sit allatus, pertinere ad hoc proelium ad Scultennam factum, cui Octavianum interfuisse Dio refert. Quacum re temporum definitio praeclare consentit: nuntius enim in itinere Mutina Romam faciendo quinque vel sex dies insumere solebat [1]). Quodsi Cicero in oratione Philip-

1) Cic. ad fam. 12, 6,1.

pica quarta decima, quam habitam esse a d. X. Kal. Maias constat, capite sexto: »Cum, ut scitis, hoc triduo vel quatriduo tristis a Mutina fama manaret«, illum nuntium allatum esse dicit a. d. XIII. vel XIV. Kal. Maias, intellegimus, qui attulisset, profectum esse a. d. XVIII. Kal. Maias vel Idibus Aprilibus, proelium ad Scultennam factum Idibus Aprilibus vel pridie Idus. Romam autem cum tristis ille a Mutina fama pervenisset, mali cives de Cicerone necando coniuraverunt. Nam cum in rerum perturbatione magnum omnium civium ad Ciceronem concursum futurum esse suspicarentur, fasces ei tradere constituerunt, quos si accepisset, magnam invidiam incurreret periculumque foret, ne tamquam tyrannus a plebe interimeretur. Sed Cicero, re comperta, auxilium petivit a P. Appuleio tribuno plebis. »Voce cuncta contio declaravit nihil esse a me unquam de re publica nisi optime cogitatum« (cf. Cic. Phil. 14, 15 ff.). Duabus autem tribusve horis post victoriam esse reportatam nuntiatum est (cf. Cic. ad Brut. 1, 3, 2). — Quae cum ita sint, sic statuendum iudico, ut prius illud proelium, quod Suetonius commemorat id intellegatur, quod ad Scultennam factum est, sequens id, quod ad Mutinam commissum est. Quoniam enim Antonius non affert, ubinam prius proelium factum sit, putari potest et proelium ad Forum Gallorum et ad Scultennam eum dixisse. Quibus illud videtur, eis Antonium mentitum esse statuendum est, quibus hoc, ei omnia inter se congruere intellegent. Quae Mommsenius [1]) de ea re protulit, non recta esse mihi videntur: »Alles dies deutet darauf hin, dass dieser Angriff der Antonianer auf das feindliche Lager zwei Tage gewährt hat, also mit gleichem Recht dem 14ten oder 15ten April zugeschrieben werden kann und auf diese Weise die Überlieferung mit einander auszugleichen ist. Dem entspricht unsere Urkunde, wenn sie, wie es scheint, den (ersten) Sieg Caesars und die erste imperatorische Acclamation auf zwei Tage, nach dem Gesagten den 14ten und 15ten April, verteilt.

[Apr. 14: Eo die Caesar primum vicit. Suppli]catio Victoriae Augustae.

1) Hermes 1882, p. 636.

Apr. 15: Eo die Caesar primum imperator appellatus est. Supplicatio Felicitati imperi]«.

Quae si ita essent, non minus in angustias veniremus, si cum nuntio, quo Octavianum a. d. XVIII. et XVII. Kal. Maias pugnasse et fugisse affertur, nobis coniungendum esset eum vesperi a. d. XVII. Kal. Maias imperatorem esse appellatum. Nisi forte milites vehementi gaudio victoriae elatos, quovis iam discrimine inter ducum merita sublato, unumquemque imperatorem appellavisse putamus. Quod ut fieret, Octavianum adfuisse omnino necesse est, id quod fieri non potuit, si a. d. XVIII. vel XVII. Kal. Maias fugisset. Adde quod senatus nullo modo imperatorem appellare potuit Caesarem, si illum fugae se dedisse compertum habuisset.

Verum tamen concedendum est, si Antonium mentitum esse constet, nihil obstare, ne prius illud proelium, cuius Suetonius mentionem facit, id intellegatur, quod ad Forum Gallorum factum est.

Sed haec hactenus. Antonius autem, memor cladis modo acceptae, cum omnibus copiis in certamen descendere noluit. Immo hostes per equites lacessere instituit, donec Brutus, fame contritus, de deditione cogitaret. Tum vero consules ad alteram Mutinae partem profecti sunt, quae minus caute custodiebatur. Qua de re certior factus Antonius paucos primo milites eo misit. Brevi autem res in magnum discrimen venit. Tum Antonius, duabus legionibus adductis, cum ceterae satis celeriter advenire non possent, magnam cladem accepit. Hirtius autem, cum audacius in Antonii castra irrupisset, ibi ad ipsum praetorium eius fortiter pugnans cecidit. Corpus a Caesare ab hostibus defensum in castra reductum est. Quo facto utrique in armis noctem degerunt. Hoc proelium Mutinense saepissime cum pugna apud Forum Gallorum facta confusum est. Drumannus autem [1]) optime de ea re disseruit. Exercitus enim a. d. XVI. Kal. Mai. a Foro Gallorum redierunt; Brutus, cum liberatus esset, a. d.

1) I, 309.

III. Kal. Maias Regii Lepidi erat, unde eo die ad Ciceronem epistulam dedit [1]). Profectus erat tertio die post Octavianum [2]), uno opus fuit, ut Regium perveniret, quod fere septendecim m. p. abest a Mutina. Quodsi ex adventu ad Ciceronem dedit illam epistulam, proelium factum est a. d. V. Kal. Maias. Ea Drumanni argumentatione K. F. Hermanni opinio, proelium non post a. d. XI. Kal. Maias fuisse, refutata est. Quod vero Langius [3]) dicit factum esse post a. d. XII. Kal. Maias (cf. Cic. ad fam. 10, 30, 5) compluribus diebus ante d. V. Kal. Maias [4]), circa a. d. XI. Kal. Maias, incertissimum videtur.

Proelio facto Antonius consilium habuit; erant qui iudicarent Antonio perseverandum esse in Mutina obsidenda neque in certamen iam descendendum, hostes enim ipsos quoque magnum detrimentum accepisse, Hirtium mortuum Pansamque saucium. Quid, quod Antonii multo maior expeditiorque erat equitatus? Ille autem veritus, ne Octavianus, sicut proximo die, impetum in se faceret, cum speraret fore ut P. Ventidius cum tribus ex Piceno legionibus secum coniungeretur, confestim ad Alpes conversus est eo quoque consilio, ut cum Lepido se coniungeret [5]). In itinere multos variosque superavit labores, et optimum se praestitit ducem [6]), nullum laborem detrectavit, imprimis sauciorum magnam curam habuit.

Quae dum geruntur, Romae decretum est, ut M. Lepidus et L. Plancus in Italiam procederent, ut Antonium exstinguerent [7]).

Tum denique Pompeiani effecerunt, ut Sexto maris imperium daretur, neque id eo factum est tempore, quo Appianus commemoravit [8]). Postremo decretum est, cum epistula Cassii de rebus, quae in Asia gestae erant, allata esset, ut C. Cassius

1) ad fam. 11, 9,1.
2) ad fam. 11, 13a, 1 f.
3) III, 533.
4) Cic. ad Brut. 1, 5,1. ad fam. 11, 9, 1; 10, 9, 3; 10, 14, 1; 11, 13, 1.2.
5) Dio 46, 38 f.
6) Frontin. strateg. 2, 7,5. Plut. Ant. 17.
7) Langius III, 536. Dio 46, 29.
8) 3, 4.

Dolabellam persequeretur nec solum in Syria, sed etiam in ceteris Asiae partibus maiore cum imperio esset quam qui illis regionibus praeessent; quod suaserant P. Servilius et Cicero[1]).

Decimus Brutus utrum proelio Mutinensi interfuerit necne, dissensio est. Scriptum enim legimus apud Ciceronem (ad fam. 11, 14, 1): »Tantam spem attulerat exploratae victoriae tua (sc. Decimi) praeclara Mutina eruptio, fuga Antonii conciso exercitu, ut omnium animi relaxati sint meaeque illae vehementes contentiones tamquam *σκιαμαχίαι* esse videantur«. Ne eam eruptionem Decimi factam credamus, obstant ea, quae Dio 46, 40 refert, milites Bruti de muris proelium inspexisse neque quicquam ad Antonium devincendum fecisse (*»τοῖς τε στρατιώταις τοῖς συμπολιορκηθεῖσίν οἱ καὶ ἐπαίνους καὶ τἄλλα ὅσα τοῖς τοῦ Καίσαρος πρότερον προεπήγγελτο, καίπερ μηδὲν ἐς τὴν νίκην συμβαλομένοις, ἀλλ' ἀπὸ τῶν τειχῶν αὐτὴν ἰδοῦσι, δοθῆναι ἔγνωσαν«*). Quid, quod Decimus ipse in epistulis, quas ad Ciceronem dedit, nusquam se pugnae adfuisse et milites amisisse commemoravit, quamquam eius permultum intererat proferre, quaecumque ad excusandum eum facerent, quod sero ad Antonii exercitum delendum accessisset. Quod autem Pontius Aquila, qui cum Bruto fuerat, in proelio Mutinensi cecidisse fertur, nihil pertinet ad eruptionem Bruti, quoniam illud proelium, quo ille T. Munatium Plancum vicerat, diu ante illam pugnam factum erat (cf. Drumannum, l. c. I, p. 211). Quae cum ita sint, certum videtur epistulam illam (ad fam. 11, 14) ad id tempus pertinere, quo Brutus Mutina exiit, ut Antonium debellaret[2]).

Cap. III.

De exitu Decimi Bruti.

Proelio Mutinensi altero res eo deducta erat, ut Antonius Mutina decederet eo consilio, ut cum Lepido arma coniungeret.

1) Cf. Meyer, l. c. p. 45 f.

2) Cic. ad fam. 12, 12,1. 12,11. ad Brut. 2, 7,3. 1, 5,1. Dio 47, 28 f. Liv. epit. 121. Langius III, 536.

iam omnino periturus Antonius visus est, neque enim coniunctis Decimi Bruti et Octaviani copiis resistere potuit, praesertim cum illo tempore nondum constaret, quo animo Lepidus et Plancus essent. Sed aliter, quam sperabant homines, res cecidit, nam Octaviano senatus aperte obtrectare uidebatur, cum non ei, sed D. Bruto supplicationem aliaque daret cumque legati senatus operam darent, ut militum animos ab Octaviano averterent. quibus rebus graviter offensus nec tam senatus quam suas res curans iam tum id agere coepit, ut cum Antonia in gratiam rediret. Quod ut tunc faceret Appianus (3. 75) narrat Pansam morientem Caesari Bononiam arcessito his verbis persuasisse: *»Ἐγὼ δὲ καὶ Ἵρτιος τὸ προστεταγμένον ἐποιοῦμεν, μέχρι συστεῖλαι τὸν Ἀντώνιον ἐπιπολάζοντα ὑπεροψίᾳ, ἡττηθέντα δέ σοι συναλλάσσειν ἐπενοοῦμεν, ὡς τῇ Καίσαρος φιλίᾳ τόδε χαριστήριον ἔχοντες ἀποδοῦναι καὶ μόνον τῇ μοίρᾳ χρησιμώτατον ἐσόμενον ἐς τὰ μέλλοντα κ. τ. λ.«* Non ignoro hanc narrationem in dubium vocatam esse, velut a Drumanno (I, 311), nec tamen ita, ut demonstratum sit Octavianum cum Pansa convenire non potuisse Bononiae. Sed quidquid de hac re statuitur, certum videtur recte Appianum referre, quid senserint Octavianus et amici. Nam ita erat res; Brutus Macedoniam tenebat, Cassius Syriam, in dies eorum copiae augebantur, mox in Italiam traiecturi videbantur. Itaque Octavianus, cum intellegeret, si Bruti et Cassii copiae satis corroboratae essent, sibi cum illis in certamen descendendum fore neque se alio socio mediocriter firmo usurum esse, nisi Antonio, cum eo arma coniungere constituit. Eius quoque interesse iudicavit, ut valido socio uteretur, quoniam ei idem periculum a Bruto Cassioque instabat. Quare iam antea saepius utriusque amici eum cum Octaviano conciliare studuerant. His rebus reputatis Octavianus brevi post cladem Antonii contra P. Ventidium, qui Antonio succurrere properabat, nihil fecit. Is enim iam dudum cum duabus veteranorum legionibus ad Antonium transire voluerat, sed ab Octaviano et Hirtio ante proelium ad Forum Gallorum factum interclusus erat. Tum vero Octavianus commisit, ut is cum Antonio

apud Vada se coniungere posset, itinere difficili a Piceno, ubi tertiam etiam legionem coëgerat, trans Appenninum facto. Quonam animo Octavianus in D. Brutum fuerit, ex Appiano (3, 73) cognoscitur. Is enim obsessione liberatus vehementer timere coepit, ne Octavianus in se ut interfectorem Caesaris animadverteret. Itaque pontibus rescissis ad illum misit, qui ei gratias agerent, quod se ex periculo summo rerumque angustiis eripuisset, ab eoque peterent, ut coram incolis oppidi interposito flumine secum colloqueretur. Caesar autem vehementer in illos invectus negavit se Decimi liberandi causa venisse, immo vero, ut Antonio bellum inferret, quo devicto nihil obstare, quin in gratiam rediret cum eo; illum vero ad se non se admissurum esse. Quamquam de eo non ante supplicium sumpturum esse se pollicitus est, quam id senatui placuisset. Qua de re certior factus Decimus ad flumen accedens Caesare vocato magna voce litteras senatus recitavit, quibus bellum Antonianum Galliamque provinciam acceperat; Octavianum eam invadere vetuit, se persecuturum esse Antonium professus est. Haec, quae Appianus memoriae prodidit, verisimillima sunt[1]). Ex rerum enim statu vix dubitari potest, quin in odio habuerit Octavianus Decimum. Quodsi hic ad Ciceronem scripsit (ad fam. 11, 10, 4): »quod si me Caesar audisset atque Appenninum transisset« et »Caesari non credebam prius quam convenissem et collocutus essem« (ad fam. 11, 13a, 1), inde nihil sequitur quam voluisse Brutum cum Caesare colloqui, nequaquam autem illos re vera congressos esse. Decimus non statim post proelium Mutinense erupit ad Antonium delendum, primum, quod Octavianum convenire volebat, tum quod sine equitibus ac iumentis erat, denique quod Pansa eum arcessiverat; cum vero ad eum properaret, nuntiatum est eum esse mortuum[2]). Tum recurrit ad copias suas nec vero ad Vada processit. Ex eius epistula ad Ciceronem data Dertonae a. d. III. non. Maias (Cic. ad fam. 11, 10, 3)

1) quamquam de eis dubitat Drumannus I, 310. 342.
2) Cf. ad fam. 11, 13a, 1ff.

sequitur Antonium circiter a. d. IV. vel V. non. Maias ad Vada pervenisse. A. d. VII. idus Maias equitatus Antonii duce Trebellio versus Pollentiam profectus est. Uno die vel compluribus diebus post a. d. V. id. Maias Pollentiam advenit Brutus idque oppidum cepit. Quod opportunissime Antonio accidit, quia ea re milites coacti sunt, ut cum duce Alpes transirent, quod ut facerent, precibus eos adducere non potuerat. Id ita fuisse cognoscitur ex eadem epistula Decimi (ad fam 11, 13a, 3): »contio eius ad me est allata, in qua petere coepit a militibus, ut se trans Alpes sequerentur: sibi cum M. Lepido convenire. succlamatum est ei frequenter a militibus Ventidianis — nam suos valde quam paucos habet — sibi aut in Italia pereundum esse aut vincendum; et orare coeperunt, ut Pollentiam iter facerent. cum sustinere eos non posset, in posterum diem iter suum contulit«[1]). Ac iam Lepido erat consilium capiendum, utrum Antonium repelleret an in amicitiam reciperet. Lepidus nec minus Plancus, quonam in rem publicam fuerint animo, non facile est ad perspiciendum. Ciceronis enim epistulae ad hanc rem explorandam cautissime sunt adhibendae; nam eius multum intererat, ut illos in fide retineret, ideoque saepe eos laude cumulavit eo consilio, ut illi bene sentirent de re publica. Nec vero illi, qui antea a Caesare steterant, Antonii exercitum delere voluerunt, cum eis quoque a Bruto Cassioque periculum instaret.

Romae quoque ea gerebantur, quae eis minime placere possent. Q. enim Cornificio data est provincia Africa nova iussusque est duas ex legionibus T. Sextii, qui illi provinciae praeerat, et in cuius locum iam antea senatus S. Quintilium Varum destinaverat[2]), in Italiam mittere[3]). C. autem Asinius Pollio in epistula a. d. XV. Kal. Maias Cordubae scripta pollicitus erat se senatui adfuturum, quae epistula utrum scripta sit a. d. XVII. Kal.

1) Cf. L. Gurlittius, Der Briefwechsel zwischen Cicero und Decimus Brutus, Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik, Band 121, 1880, p. 612f.
2) Cic. Phil. 13, 30.
3) ad fam. 11, 14, 2; 10, 24, 4. 8; App. 3,85.

Maias[1]), ut Langius vult, necne, in medio relinquatur. Magnis tum in angustiis senatus est versatus. Quid, quod fieri non potuit, ut per leges consules suffecti crearentur? Res igitur procrastinata est. Per urbem vero fama divulgata est Ciceronem petiturum consulatum idque una cum Octaviano[2]). Idibus Iuniis senatus Antonium et Lepidum arma coniunxisse cognovit. Antonius enim, cum Idibus Maiis Forum Iulii advenisset, non multum a Lepidi castris afuit. Qua de re certior factus Lepidus, quamquam a L. Planco et M. Iuventio Laterensi rogatus erat, ut senatus partes sequeretur, rem ita instituit, ut a militibus suis coactus esse videretur cum Antonio pacem conciliare. Itaque a. d. IV. Kal. Iunias Lepidi et Antonii coniunctio facta est[3]). Senatus autem Lepido bellum evestigio inferre animum inducere non potuit, sed demum pridie Kalendas Quinctiles Lepidus a senatu hostis est iudicatus ceterique, qui una cum illo a re publica defecerant; quibus tamen cum re publica in gratiam redeundi ante Kal. Sept. potestas est facta, et statua Lepidi, quae in rostris erat, eversa est. Iam vero Octavianus, qui etiam tunc in Gallia Cisalpina erat, cum consulatum non esset assecutus, effecit, ut milites quasi proprio impulsu iurarent se numquam cum militibus, qui quondam Caesare duce stipendia meruissent, in certamen descensuros esse. Quo facto Caesar quadringentos milites Romam praemisit, eo consilio, ut pecuniam sibi decretam poscerent Caesaremque consulem designari iuberent[4]). Tum vero senatus metu perculsus non consulatum quidem Caesari dedit, sed honoribus consularibus eum ornavit et permisit, ut inter consulares sententiam dicere ei liceret. Caesar autem Rubicone traiecto, postquam exercitum suum in duas partes divisit, Romam petivit magnis itineribus cum parva manu expedita, ceteres subsequi iussit. Qua re comperta senatus ei legatos obviam misit, qui pecunia data efficerent, ne

1) Cf. ad fam. 10, 31, 1 cum 10, 33, 3.
2) ad Brut. 1, 4, 6 (Id. Maiis).
3) ad fam. 10, 23, 2.
4) Cf. Dio 46, 43.

Octavianus ad urbem accederet. Sed Octavianus, cum illos cum militibus colloqui nollet, quosdam ex familiaribus ad legatos senatus misit, qui eos orarent atque obsecrarent, ut statim redirent. Magna tum Romae perturbatio et trepidatio facta est. Fuerunt qui senatui crimini darent, quod Caesarem offendisset[1]). Cicero autem nusquam comparuit. Quae cum ita essent, non solum dena milia HS., que legioni Martiae et quartae senatus antea promiserat, sed vicena milia H S. octo legionibus Caesaris viritim decreta sunt placuitque, ut Caesar illa ipse distribueret eique absenti consulatum petere liceret. Sed legatis missis, qui illi ea nuntiarent, senatorum animi rursus aucti sunt cum eo die duae legiones Titi Sextii ex Africa advenirent, tamquam divinitus missae. Ubi primum Cicero adfuit, S. C. factum est, ut omnes in armis essent legioque illa, quam Pansa urbis praesidio reliquerat, Ianiculum occuparet. Dum legati cum Caesare colloquuntur, is de rerum mutatione certior factus ad Romam accessit, veritus, ne mater sororque sua violarentur, eamque regionem, quae est circa Quirinalem, occupavit, quare cives valde perterriti sunt (Dio 46, 45: ἐπεὶ δὲ ἐν τῷ προαστείῳ ἐγένετο, ἐφοβήθησαν). Postquam autem milites Caesaris populum metu liberaverunt, a nobilibus et multitudine plebeia salutatus est. Die insequenti exercitu relicto cum paucis urbem adiit et a matre sororeque ad templum Vestae benigne receptus est; cum Cicerone quoque collocutus est. Quo facto cum tres illae legiones, quae in urbe erant, ad Octavianum transiissent, M. Cornutus praetor urbanus rebus desperatis mortem sibi conscivit. Tum vero fama est divulgata legiones quartam et Martiam contra Octavianum facturas esse. Atque id senatus facilius, quam oportuit, credens M.' Aquilium Crassum in Picenum misit, qui dilectum haberet. P. Appuleius tribunus ea populo nuntiavit, senatus Cicerone auctore noctu convocatus est. Brevi autem post famam illam falsam esse apparuit. Caesar exercitu in Campum

1) Dio 46, 44 ff.; Suet. Oct. 26.

Martium deducto Crassum, quem comprehenderat, incolumem dimisit. Quo facto pecunia publica de Ianiculo comportata dena millia H S. viritim dedit militibus. Reliqua se postea additurum esse pollicitus urbe exiit, donec comitiis centuriatis consules crearentur. Consularia autem comitia ut fierent, unus ex praetoribus, qui ex sua ipsius potestate ea habere non poterat, Q. Gallius, qui in Cornuti locum suffectus erat, duosviros comitiis consularibus habendis consulari potestate creare iussus est. Ei tum comitia habuerunt, quibus Octavianus et Q. Pedius sunt creati. Pedius tulit de interfectoribus Caesaris legem qua omnes, qui coniurationis participes fuerant, aqua et igni interdicti bonaque eorum publicata sunt. Etiam D. Bruto bellum est indictum. Quo facto Caesar militibus senatui et grates egit, senatus vero ei legiones Decimi custodiamque urbis tradidit.

Interim D. Brutus in maximas angustias devenit. M. Antonium persecutus nec tamen assecutus pridie Nonas Maias in finibus Statiellensium erat [1]), paullo post Pollentiam occupavit, ne Antonius in Italiam evadere posset [2]). Sed cum Antonio per Alpes maritimas iter pateret et ipse Alpes occuparet, longius eum insequi non potuit. Constituit igitur cum L. Munatio Planco se coniungere, qui interim Rhodano a. d. VI. Kal. Maias [3]) cum exercitu traiecto ad Isaram flumen in finibus Allobrogum constiterat et exspectabat, quid sibi faciendum esset. Duae tum erant viae per Alpes iter in Galliam facientibus, altera, quam munierat Cn. Pompeius, per Taurinos et Vocontios, quam describit Strabo IV, p. 179, altera per Salassos, qua Hannibal, ut plurimi recte credunt, exercitum traduxit. Per hanc D. Brutum iter direxisse ex testimoniis videmus, quamvis esset multo longior; id quod sine dubio ea de causa fecit, quod altera breviore per Vocontios ei ire non licuit sive per Antonium, quem

1) Cic. ad fam. 11, 11.
2) ad fam. 11, 13.
3) ad fam. 19, 9. 10, 11.

audimus Alpes occupasse [1]), sive per Alpium illarum incolas, qui tunc nondum subacti erant. Igitur D. Brutus paucos dies in Alpium maritimarum radicibus moratus per Vercellas, ubi erat a. d. VII. Kal. Iunias [2]), et Eporediam, unde a. d. IX. et VIII. Kal. Iunias Ciceroni epistulas scripsit [3]), per Salassos Alpium iuga ascendit. Salassi eum suos fines transire non passi sunt nisi magna pecunia data [4]). Hac via Alpes transgressus ad Plancum profectus est. Interim et Bruti et Planci conditio eo valde mutata erat, quod Lepidus haud invitus, sed, ut ipse dicebat, a militibus coactus a. d. IV. Kal. Iunias Antonium recepit et cum eo exercitum coniunxit, id quod factum est, antequam Brutus cum Planco se coniungeret. Plancus, qui propius ad Lepidum accesserat, cum Antonium contra se exercitum ducere animadverteret, trans Isaram Cularonem recessit, unde Ciceroni a. d. VIII. Idus Iunias litteras misit [5]) et paullo post cum D. Bruto se coniunxit. Erant tunc in Bruti castris legiones decem, quarum octo tironum erant, ut ex litteris Planci scimus a. d. V. Kal. Sextiles ad Ciceronem datis [6]). Coniuncti imperatores aliquamdiu in his locis morati sunt, senatum sibi auxilium missurum esse sperantes. Una cum eis etiam C. Asinius Pollio, qui Hispaniam ulteriorem tenebat, Antonio restitit, quamquam et ipse et exercitus ab Antonio et Lepido saepe temptatus est [7]). Quae dum geruntur, Octavianus in Italia senatum et populum Romanum in suam potestatem redegit et haud dubie ostendit se cum Antonio in gratiam rediturum esse. Ipse consul factus est cum Pedio a. d. XIV. Kal. Septembres, senatus contra Antonium et Dolabellam decreta sublata sunt, lege Pedia Caesaris

1) ad fam. 10, 33, 4.
2) ad fam. 11, 19.
3) ad fam. 11, 20. 23.
4) Strabo IV, 205, id quod minus recte Drumannus (I, p. 357) ad tempus insequens referri vult.
5) Cic. ad fam. 10,23.
6) ad fam. 10, 24, 3.
7) ad fam. 10, 32.

interfectores capitis damnati sunt, de quibus supra exposui. Tum Asinius Pollio et Plancus, nam erant hi Caesariani, ad Antonium defecerunt. Ac primum Asinius cum exercitu ad Antonium accessit et Planco persuasit, ut et ipse ad Antonium transiret[1]). Tantis copiis coniunctis Decimus Brutus, cum resistere non posset, ad M. Brutum, qui cum Cassio Macedoniam totumque orientem tenebat, confugere constituit. Quod quomodo gestum sit, non ita traditum est, ut omnia plana sint; tamen hoc ex Dionis[2]) et Appiani testimoniis diligenter perpensis melius, quam a Drumanno factum est, explicari potest. Ac maxime quidem id egisse credendus est, ut itinere per Galliam Cisalpinam facto aut Aquileiam aut Ravennam copias duceret, ut inde per Illyricum in Macedoniam veniret[3]). Sed quominus per haec loca iter faceret, a Caesare Octaviano impeditus est, a quo Italia tenebatur. Apud Dionem (46, 53) haec scripta videmus: „*ἐγκαταλειφθεὶς δὲ ὑπὸ τοῦ Πλάγκου, τά τε τοῦ Λεπίδου καὶ τὰ τοῦ Ἀντωνίου φρονήσαντος, τήν τε Γαλατίαν ἐκλιπεῖν, καὶ ἐς τὴν Μακεδονίαν πρὸς τὸν Βροῦτον πεζῇ δι' Ἰλλυριῶν ἐπειχθῆναι ἔγνω. καί τινας στρατιώτας, ἐν ᾧ δὴ τὰ ἐν χερσὶ καθίστατο, προέπεμψεν. ὡς δὲ ἐκεῖνοί τε τὰ τοῦ Καίσαρος ἀνθ εἵλοντο*" *κτε*. Fortasse ex Dionis verbis effici potest eum hac via per Italiam militum partem explorandi causa praemisisse, qui quidem deserto Bruto ad Caesarem transierunt. Sed fortasse Dio non aliud narrat atque Appianus, qui paullo uberiora et, ut solet, meliora praebet. Nam hac via desperata Brutus, ut in Illyricum veniret, multo longiore via uti coactus est. Rhenum igitur transire instituit. Quod ut faceret, non

---

1) App. 3, 97.

2) Dio 46, 53.

3) App. 3, 97: *ἀπογνοὺς οὖν μάχεσθαι, φεύγειν ἔκρινε πρὸς Βροῦτον ἐς Μακεδονίαν. ἔφευγε δ' οὐκ ἐπὶ τάδε τῶν Ἄλπεων, ἀλλ' ἐς Ῥαουένναν ἢ Ἀκυληίαν. ἐπεὶ δὲ Καῖσαρ ὥδευε ταύτῃ, ἄλλην μακροτέραν ὁδὸν καὶ δύσπορον ἐπενόει, τόν τε Ῥῆνον περᾶσαι καὶ τὰ ἀγριώτερα τῶν βαρβάρων ὑπερελθεῖν.* Haec Appiani verba non integra sunt, nam sine dubio post *Ἀκυληίαν* lacuna statuenda est.

cum Drumanno per Helvetios iturus fuisse putandus est aut Rheno prope fontes traiecto per Alpes. Hac enim regione Alpes tunc inviae erant nec solum exercitui, sed etiam ipsi vix permeabiles. Immo non dubito, quin in animo habuerit exercitum per Sequanos Rheno flumini admovere, eo fere transitu usurus, quo usus erat Ariovistus, cum ex Germania in Galliam transiret, ut exinde per Danuvii vallum Illyricum peteret. Hanc enim iam his temporibus exstitisse viam, ut Cimbrorum itinera omittam, ea docent, quae Cicero ad Att. 10, 9, 1 sex annis antea (49 a. Chr.) scripsit, fuisse rumorem Pompeium cum magnis copiis iter in Germaniam per Illyricum fecisse[1]). Quem rumorem ne nasci quidem potuisse apparet, nisi via per haec loca re vera exstitisset. Neque hanc viam per Rhaetos Helvetiosque directam esse Germaniae mentione demonstratur, quoniam neque Rhaeti neque Helvetii Germani erant. Cum igitur per haec loca D. Brutus exercitum ducere coepisset, non longe progressus est. Milites enim laboribus fatigati eum deseruerunt et primum tirones, qui ad Caesarem defecerunt; reliqui ad Antonianos, qui eos persecuti erant, transierunt. Soli equites Galli fidem servarunt, quibus concessit, ut, si placeret, domum redirent. Trecenti tamen apud eum remanserunt, quibuscum ad Rhenum properavit. Sed cum difficile esset cum tam paucis Rhenum traicere, hi quoque, ut Appianus refert, praeter decem eum deseruerunt. Tum vero ab instituto itinere destitit et Gallica veste indutus nec ignarus linquae Gallicae breviore via Aquileiam versus ire coepit, cum speraret se cum paucis latere posse[2]). Apparet igitur eum de via devertisse et per ea loca iter facere instituisse, per quae nisi in Gallum transformatus vix pervadere poterat. Conici igitur potest ea via eum uti voluisse, qua a Sequanis

---

1) Sine dubio ideo id iter fecisse putabatur, ut se cum legionibus Hispanicis coniungeret.

2) App. 3, 97: *ἤλλαξε δὲ τὴν ἐσθῆτα ἐς τὸ Κελτικόν, ἐξεπιστάμενος ἅμα καὶ τὴν φωνήν, καὶ διεδίδρασκε σὺν ἐκείνοις οἷά τις Κελτός, οὐ τὴν μακροτέραν ἔτι περιιών, ἀλλ' ἐπὶ Ἀκυληίας, λήσεσθαι νομίζων διὰ τὴν ὀλιγότητα.*

itur ad Helvetios [1]), unde clam in Galliam Cisalpinam descenderet. Sed ne hoc quidem institutum perficere potuit; incidit enim in latrones, qui eum captum ad Gallorum principem duxerunt, cui nomen Camelus vel Camillus erat. Eum Appianus hospitem, Dio inimicum fuisse Bruti narrat. Ab hoc agnitus et receptus est; idem tamen Antonio nuntiavit Brutum captum esse, Antonius eum occidi iussit [2]). Quod factum esse in Sequanis maxime probabile est; nam et Orosius Livium secutus Brutum a Sequanis captum et occisum esse narrat [3]) et apud Livium [4]) a Capeno Sequano occisum esse Brutum scriptum videmus; neque enim dubium videtur, quin Capenus ille idem habendus sit ac Camelus sive Camillus Vellei et Appiani. Non minus hic locus ipsi rei aptissimus est; cum enim D. Brutus ab Allobrogibus fere profectus primum Rhenum petierit, deinde, priusquam eo pervenisset, hoc itinere relicto aliam breviorem viam Aquileiam versus capessiverit, necesse fuit eum per Sequanorum fines permeare. Quare optime id, quod Livius tradidit, rei convenit nec cum Drumanno (I, p. 358) reiciendum est.

---

1) quam memorat Strabo IV., 208.
2) App. 3, 98; Velleius Paterculus 2, 64.
3) Oros. 6, 18, 7,
4) Liv. 120.

Vita.

Natus sum ego, Carolus Paulus Adolphus Maximilianus de Hagen, Erfortiae anno 1861 a. d. III. Non. Sept. patre Eduardo, matre Augusta de gente Bischoff. Patrem, qui arti pingendi operam dat, et matrem superstites esse laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Ac primis quidem litterarum elementis imbutus sum per duos annos in schola quadam cum gymnasio coniuncta. Tum anno 1870 in sextam classem gymnasii regii Erfortensis receptus sum, unde ineunte anno 1879 maturitatis testimonium adeptus sum. Quo facto Halas me contuli, ubi per bis sex menses philologiae classicae et historiae vacavi. Scholas audivi Dittenbergeri, Duemmleri, Haymii, Hilleri, Keilii, Schummii, Zacheri. Sodalis fui proseminarii philologici, cui praeerat Hillerus, et societatis historicae, cuius exercitationes moderabatur Schummius. Anno insequenti, cum Bonnam demigrassem, valde me auxerunt Bernaysius (†), Buecheler, Kekuleius, Kleinius, Leo, Schaefer (†), Usener. Particeps fui exercitationum seminarii philologici inferioris auctore Leone. Hieme autem implicitus sum morbo gravissimo. Ubi primum recreatus sum, Lipsiam profectus me applicavi ad G. Curtium (†), Ecksteinium (†), Lipsium, C. Hermannum, Ribbeckium, Roscherum, Seydelium, Zarnckium. Lipsius permisit, ut sodalis essem seminarii philologico-historici, G. Curtius me in societatem grammaticam Graecam recepit, Ecksteinius, seminarii paedagogici exercitationibus ut adessem, permisit. Ineunte anno 1882 demigravi Berolinum, ubi per bis sex menses scholas frequentavi E. Curtii, Joh. G. Droysenii (†), Roberti. Praeterea Curtius in societatem archaeologicam me recepit, Mommsen, ut seminarii historici exercitationibus interessem, permisit. Hieme iterum morbo illo affectus sum idque adeo, ut per duos annos (1883–85) plane studio litterarum desistere coactus sim. Sed cum animus corpusque refecta essent, tanto amore litterarum sane nunquam exstincto impletus sum, ut academiae Marburgensis sodalis fierem. Hic per ter sex menses scholas audivi Bergmanni, Birtii, Cohenii, Caesaris (†), Herrmanni, Lenzii, Niesii, Schmidtii, Varrentrappi. Praeterea exercitationibus philosophicis, quas Bergmannus moderabatur, vacavi, seminarii historici, cui Lenzius praeerat, sodalis fui.

His viris doctissimis, qui de me bene meriti sunt, ex animi sententia gratias ago, imprimis Hillero, Lenzio, Niesio.
